



2
6
408























BARTHOLOMAEI CAMERARII BENEVENTANI, DE IEIVNIO, ORATIONE, ET ELEEMOSYNA, DIALOGI QVATVOR.



LVTETIAE,

Ex officina Michaëlis Vaſcoſani, uia Iacobæa, ad inſigne Fontis.

M. D. LVI.

EX PRIVILEGIO REGIS, AD DECENNIVM.

ILLVSTRISSIMAE DIA.. E
Poictiers, Valentinorum Duci, Bartholomæus Camerarius
P. F.



Vm de rebus diuinis, ut soles, familiariter mecum ageres, mandasti, ut quid de ieiunio, de oratione & eleemosyna sentirem, scriptis tibi declararem: quod equidem ut tuæ uoluntati fieret satis, feci perlibenter, librúmque hunc conscripsi, in quo tecum simpliciter & apertè, tanquam cum principe fœmina loquens, omnia breuißimè sum complexus: præter pauca, quæ cum Protestantibus *ea subtilitate, qua ueritas in pertinaci concertatione limatur, disputare necesse fuit.* Ornamenta *uerò dicendi tantum abest ut quæsierimus, ut etiam sponte oblata neglexerimus, maiores nostros imitati, qui laborem omnem in ipsis rebus ponebãt, in uerbis autem, studium aut omnino nullum, aut certè perexiguũ collocabant.*Reliquum *est, ut hunc, quem tibi dedico, librum, æquo animo accipias, eúmque hanc saltem ob causam in illa bibliotheca reponas, quam* Aneti *instructißimam habes, ut insignes uirtutes tuæ, maiorũ tuorum progenies, atque illustria & generosa facta (quæ cum paucis in hac epistola narrari non possent, in* Dialogo *quarto attigimus) exemplo sint posteris, ut quo modo tu à maioribus multa accepisti, multa quoque addidisti, eodem ipsi & illos & te simul imitari poßint.* Vale.

DIALOGI DE IEIVNIO

CAPVT PRIMVM.

Quid ieiunium sit.

DIANA VALENTINORVM DVX. CAMERARIVS.



Voniã omne opus, quod est in mũdo, aut cõcupiscentia carnis, aut cõcupiscentia oculorum, uel superbia uitæ est:*ut promptiores ad militãdum Christiani milites essent, tribus armis è regione Saluator cõtra Satanam eos instruxit, oratione nimirum, misericordia, & ieiunio: ut per humilem orationem, superbiam refrenarent: per eleemosynas, cupiditati resisterent: ac per ieiuniũ, concupiscẽtiam carnis domarent. Scire nunc optarem quid horum Deo magis acceptum esse tibi uideatur. CAM. Cum male inter sese hæc comparari possint, nisi eorum uirtutẽ speciatim intelligamus, proinde totius collocutionis nostrę hæc methodus erit, ut principiò de ieiunio agamus, deinde de oratione, tũ de eleemosyna, ut postremò honestæ petitioni tuæ satisfacere possim. DIA. Optima propositio. At unum perpetuò repetitum uolo: nempe ut dimissis scholarum partitionibus, nudam scripturã patefaciens, & quasi cum

*1. Ioan. 2. b.

¶ *Libri methodus.*

¶ *Ea tractamus dũ cum hac illustrissima Duce ratiocinamur, quæ ipsa capere possit: reliqua uerò quæ difficiliora sunt, cũ Protestantibus disputabimus.*

muliere religionem colente loquens,eas duntaxat quæstiones tractemus,quæ saluti animæ cōducunt. C A. Neq; absq; Scholasticis,bene:neq; cum ipsis commodè, tecum negotium hoc suis numeris absolui posse,euidentissimè cerno. utcunque tamen quantum potero, piæ uoluntati tuæ morem gerere conabor. D I A. Perge, à digniori initium sumens, ut dum hæc tria explicas, propriam uniuscuiusque dignitatem simul cognoscam. C A M. Quanquam eleemosynæ primus locus dandus est,secundus orationi, & tertius ieiunio, quemadmodum suo loco dicemus:* quia tamen Lutherani nō tam de oratione & eleemosyna nobiscum certant, quàm de ieiunio faciunt,quod obliterare insudarunt, ordine turbato in primis de ipso ieiunio agam: deinde de oratione,in qua sanctorum præmortuorum preces atque omnem uenerationem excludunt: postremò de eleemosyna, quam infructuosam facere contendunt. Posthabita itaque doctrina illorum qui docent,quid boni habeat continentia:& è contrario,quid mali satietas: cū minimè de ieiunio ieiuni, immò potius de ieiunio ieiunātis uerba facturi simus: de solo ieiunio,quatenus spirituale præceptū est, ipsi animæ necessariū,agemus. D I A. Virtúsne per se ieiuniū sit, principiò scire optarē. C A. Siue uirtus sit,siue nō,parum refert:sat est in hoc omnes conuenire,ut fundamentū cęterarum uirtutum dica-

*Lib. 4.

¶ *An ieiunium sit uirtus.*

*Hiero. ad Demetriadē de uir. lib. 2 col. 8.
*Psal. 34.

dicatur:*quasi hoc Psaltes senserit, quando dixit, Humiliaui in ieiunio animam meam: * nempe ut fundamento ieiunij, ad humilitatis uirtutem peruenerit: quā hi consequuntur, quorum ieiunium omnino sanctū est. * DIA. Cur ieiunium sanctum esse oportet? CAM.. Quoniam ieiunium ipsum, sanctificatio nostra atque pudicitia est, citra quam nemo uidebit Deum. * Sanctificatio inquam, ut tanquam adiumentum ad sanctitatem sese habeat, non autem quod pro perfectione sanctitatis habeatur, ut confestim homo ieiunare incipiens, sanctitatem assequatur, * quod uel hoc simile commonstrari poterit, si considerauerimus neque emplastra, neque chirurgum sanitatem infirmo esse, sed instrumenta potius ad sanitatem ipsam. Sanctum igitur ieiunium ut sit eam ob causam necesse est, quia non omne ieiunium Deo placet: semel enim quod dixit, Sanctificate ieiunium, sanctum duntaxat ieiunium sibi placitum esse ostendit. * & alibi, Nunquid tale ieiunium ego elegi? * DIANA. Quem in modum ieiunij diem sanctificare potero? CAMER. Bonis operibus, & oratione: quibus si sacrarum scripturarum lectionem, orandi assiduitate defessa addideris, omnino sanctum erit: * quandoquidem scriptum est, Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. * & non solùm uiuit, uerum etiam sic saturatur, ut famem cor-

*Chryso sup. Io. ser. 1. co. 6.

¶ Ieiunium per omnia sanctum esse debet.

*Hierony. ad Deme. lib. 2. col. 8.

*Hierony. ad Clan'iam. tom. 1.

*Ioel. 1. c. 2. d.
*Esa. 58. b.

¶ Modus sanctificādi diē ieiunij.

*Hiero. sup. Esa. c. 1.
*Deut. 8.
*Luc. 4.

poris negligat,quiſquis pabula diuini eloquij cō *Deut. 8.
ſectatur:haudquaquã cibum quærens,qui terre- Luc. 4.
nis epulis apparatur, ſed qui diuinarũ rerum le-
ctione colligitur:ille nãq; corpus ad tempus nu-
trit,hic autẽ animã in æternũ reficit. DIA. Quẽ
in modũ ieiuniũ definire poterimus?CA.Quid
¶ *Definitio Ieiunij.* tibi cum definitionibus eſt? hoc unũ memoriæ
cōmenda,Ieiuniũ uerũ animæ cibũ eſſe.* DIA. **Aug. de ſalutari. documentis. c.48.*
Minime hoc mihi perſuadebo, rei huius maxi-
mè neceſſariæ definitionem, orthodoxos patres
ſilentio præteriiſſe. CA. Poſſumus in ieiunio ip-
ſam ieiunij ſubſtantiã conſiderare, de qua nunc
agemus: rurſum & ieiunij qualitates,de quibus
tũc tractabimus,cũ modus ieiunãdi enucleabi-
tur: poſſumus quoq; ieiuniũ ut corporale, & ut
ſpirituale capere: corporale dico, non ut animæ
cōmune nō ſit, ſed inquantũ homo propter ab-
ſtinẽtiã cibi, ſecũdũ modũ ab eccleſia præceptũ
affligitur,nō autẽ quãdo alio modo inediã pati-
tur:ſpirituale autẽ, quando ſpiritus ab omnibus
malis abſtinet. DIA.Age,ut ieiunij definitionẽ
intelligã. CA. Interrogatus Iſidorus,quidnã ie-
iuniũ eſſet,quod corpori cōmune eſt,ſic reſpon-
dit,Ieiuniũ eſt parſimonia uictus, abſtinentiáq;
ciborũ: & cum ſemel Hieronymus à ſanctis mo-
nachis interrogaretur,quid ieiuniũ eſſet,delitia-
rum fuga reſpondit.* Chryſoſtomus uerò corã **Chryſoſt. de pœni. tom. 5. homi. 1. col. 1. in fin. & 2.*
peccatoribus uerba de ieiunio faciẽs, Medicinã
eſſe dixit,qua anima infirma frequenter curatur.

&

&alio in loco Hieronymus, cũ de ipſo ieiunio loqueretur, uerba ſequentia ſcripſit, Ieiunium & ſaccus, arma pœnitẽtiæ ſunt,* quaſi homo frigore & abſtinentia coercitus, minimè ſenſus prõptos ad luxuriã habeat. Cuius præcepti & doctor & factor unà ipſe fuit. Hic enim ſãctus uir, quẽadmodũ Euſebius et Auguſtinus teſtãtur,* quinque annis neq; uinũ neq; ſicerã bibẽs, carnibúſq; perpetuò excluſis, uix coctũ, ídque in infirmitate rarò comedens, herbis ſemel in die, & fructibus ueſperi ueſcebatur. Hic præterea pro induſio, ſacco indutus, uiliſſimóq; pãno tectus, pro ſtrato terrã nouit. D I. Cur tot & tãtas miſerias eruditus ille ſanctúſq; Hieronymus ſuſtinuit? C A. Vt præteritorum pœnam peccatorũ ſolueret, futura uitaret, & ad Deum eleuatus, beatam uitam corde contrito, ſpititúque humiliato in uia ducere poſſet. Sic enim & Paulus ne reprobus fieret, corpus ſuũ in ſeruitutẽ redigebat:* Itidem & alij ſancti innumeri, inter quos Hilarion unus, proprio corpori loquẽs, dixit: Ego te aſine faciã, ut non calcitres: neque enim te hordeo alam, ſed palea, fame te conficiã, & ſiti graui te onerabo, pondere te trahã per æſtus & frigora.* putans ſic equũ moderanti, facilè pariturum,* ne fortaſſe è contrario uentris ingluuies tam animæ, quàm corpori, recalcitrandi cauſam præberet. Hoc quidem ieiunio exultationis ieiunare eſt, quando ſpiritu ſãcto repleti, animo gaudẽtes, corpo-

*Hier. de reg. Mona. in ca. de tẽperatis ieiuniis co. 2.

*Euſeb. lib. 2 de heremi. & Auguſt. epiſt, 205.

*I. Cor. 9.

*Hiſto. de uita B. Hilario.

*Chryſoſt. in Gene. ho. 8.

ra, ne in tentationẽ incidant, sancti uiri affligũt, ut spirituale gaudiũ & corporis afflictiones unà sentiant.* DIA. Satis isthæc arrident, sed suauiora erũt, ubi qualitates, quę ad sanctũ ieiuniũ con summandũ necessariæ sunt, addideris. CA. Cũ Protestãte isto prius de multis cõcertaturus sum: aures attẽtas pręsta, ut singula intelligere possis. *Leo.

CAPVT SECVNDVM.

Fatentur Protestantes, ieiunium in se bonum esse, solius tamen consilij: non autem præceptum Dei *de iure diuino pro certo tempore, cum ciborum delectu, & pœna pro expiandis peccatis: quemadmodum* Catholici *tenent, quorum uanitatem ex dicendis lectores apertè cognoscant.*

PROTESTANS. CAMERARIVS.

ATtẽtas aures præstate, quotquot adestis auditores, ut quid nos Protestantes contendamus, ab ouo (quod aiunt) intelligatis. Non quidẽ ieiuniũ improbamus, immò potius ieiunãdum esse dicimus, modò liberum sit, cum uolumus, absque ulla temporis præscriptione, delectúque ciborum comedere. CAM. Idem ante uos Aetius, Eustachius, Vigilantius, atque Valdenses, & alij Hęresiarchę multi, contendebant. PRO. Hoc unũ principiò rogabo, de quo mihi responderi

deri uolo, à qua lege diuina poteſtatem Papa acceperit pręcipiendi ieiunia, ſub pœna, pro certo tempore, cum delectu ciborũ? in quo non ſolum noſtram libertatem Chriſtianam adimit, uerùm etiam Chriſti authoritati multum detrahit, eiúſque fidei: dum ex tali ieiunio hominem plus iuſtificari ſubiungit. Pontificíſne officium hoc eſt, ut nos à Chriſto ſeducat, & ad Moyſen conducat? CAM. Deſine paululum maledicendo cõtradicere: auditor eſſe uelis, intereadum neque Moyſis legem, neque Chriſti, te intelligere oſtendam. PROT. Matura. CAM. Tres planè ieiunij ſpecies ſunt: Dei nimirum, Naturæ, & Eccleſiæ: quas ſigillatim principio narrabo. PR. Dic ſingula nominatim, modo ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, non autem hominum authoritate, Papæ adulantibus illa probes. CA. Baſilius magnus, & Chryſoſtomus* pro eccleſia Gręca: Ambroſius, & Auguſtinus* pro Latina: nullã adulationẽ redolentes, clara uoce conſentiunt ex cap. 1. Geneſeos haurire nos poſſe, Ieiunium à DEO præceptum eſſe, de iure diuino, figuratũ in lege antiqua. Quandoquidẽ Deus cum ab initio hominem cõdidiſſet, & ſciret ꝙ hoc remedio ad animæ ſalutem multũ haberet opus, ſtatim & in principio, hoc mãdatũ protoplaſto dedit, dicẽs: De omni ligno, quod eſt in paradiſo comedẽdo comede: de ligno autem ſciẽtiæ boni & mali ne comedes: ieiunij enim figura erat.* Semel enim

¶ Tres ieiunij ſpecies, Dei, Naturæ & Eccleſiæ.

¶ Primũ ieiuniũ à Deo præceptum.

* *Chryſoſt. in Gene. hom. 1.*
* *Ambro. in libr. de Elia, & ieiunio. & Aug. cõtra Iulia. lib. 1. col 8. Baſi. in homi. de laudi. itin.*

* *Chryſoſt. in Gene. hom. 1. col. 2.*

quod dixit, Non mãducabis, ieiunium est, & legis initiũ, sub mortis pœna, qua homo ipse, cui lex hæc data fuerat, legem contẽnendo plectendus erat. Vtinámq; eam seruasset, & minimè audiuisset, Terra es, & in terrã reuerteris: mortua equidem fuisset mors, immò non fuisset mortua, quæ non erat.* Audisti primũ Domini pręceptũ ut homo, cum delectu ciborũ, quemadmodum Moyses testatur? Audisti sub utriusq; mortis pœna fuisse præceptũ? Audi quid pro cibo in secundo ieiunio dedit. Sic enim dixit: Ecce dedi uobis omnem herbã afferentem semen super terrã, & uniuersa ligna quę habent in semetipsis sementẽ generis sui.* Quibus uerbis satis concipere possumus, carnes uetitas tunc fuisse: quasi quædam permittendo ex pluribus quæ aderãt, cætera quæ comedi poterant, inhibita censeantur: optimum quidem argumentũ penes Iuriscõsultos hoc est, qui in his prohibitionibus quotidie uersantur.* PRO. Hoc de carnibus multi negant. CA. Sed omni ratione denudati: queẽadmodũ paulò post patebit. Ad rẽ redeamus. PR. Perge. CA. Cũq; de fructu uetitæ arboris comedissent, eos è paradiso emisit, maledicẽdóq; maledixit terrã: & hoc quidẽ, ut quod permiserat deligẽdo herbarũ fructuúmque cibos, hos maledicendo cõfirmet, inquiẽs, Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas ter-

*Chrysost. de pœnit. ho. I. & de ieiunio serm. I.

¶2. Ieiuniũ cũ delectu ciborũ à Deo præceptum.

¶An carniũ esus ante diluuiũ inhibitus fuerit.

*Gene. I.

L. cum præto. ff. de uidi.

ræ: in ſudore uultus tui ueſceris pane tuo, donec reuertaris in terrã de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris.* quod totũ ſecũdum ieiuniũ à Deo cũ maledictione præceptũ fuit: ut his permiſſis, eſus carniũ omnino illis inhibitus fuerit: Deinde & tertiũ ieiuniũ cum delectu ciborũ ſtatuit. PR. Quale? CA. Sic enim poſtquã aquæ ſiccatę fuiſſent ſuper terrã, exeuntibus Noe cum filiis, cæteríſque omnibus qui in arca ſteterant, benedicẽdo illis Deus dixit: Omne quod uiuit & mouetur (nõ autẽ herbas & fructus ſolos dedit) erit uobis in cibũ.* quaſi dicat: ultra herbas, fructus, & panẽ, ecce uiuentia omnia, tã piſces q̃ carnes addo, ut comedatis. Hic germanus ſenſus, alioqui ad quid ſimpliciter locutus fuiſſet, omnia uiuentia illis tradẽs? Non tamen hoc abſq; alia delectione ciborũ fecit, eueſtigiò nãq; ſubiungit, Excepto ꝙ carnem cum ſanguine nõ comedetis. Quæ uerba perpẽdenda adhuc ſunt: ſiquidẽ carnium tunc mẽtio fit, ut carnium eſus modificetur, quando carniũ eſus permiſſus fuit, nõ ante. Hæc certè cõmunis Hebręorum quoq; opinio eſt, ut Lamech pro pellibus uenatũ acceſſerit, & non pro carnibus, quando Cain occidit: quod ieiunij præceptũ tertium cum alio ciborũ delectu fuit. Quibus & quartũ ieiunium cũ delectu ciborũ addidit, quãdo Moyſes quoſdã piſces & certas carniũ ſpecies populo Iſraelitico, ne de illis comederẽt, ei præcipit.* PRO. Sint illo tẽ-

*Gene. ca. 3.

*Gene. ca. 9.

*Leuit. ca. 11.

¶3. Ieiuniũ cũ delectu ciborũ à Deo præceptum.

¶4. Ieiuniũ à Deo cũ delectu ciborũ iniunctum.

pore cibi distincti : quid tum ? nũ ut semel hora nona comedãt? num ut peccata expiarentur? nũ ut certis diebus sic comederẽt ? CA. Sat est, duo ex his principiò colligere: alterum, ut ciborũ delectus à Dei præcepto initiũ sumpserit: alterũ, ut præceptum tale, sub pœna utriusq; mortis iniũctum pro arbore uetita principio fuerit. PRO. Vbi illa afflictio, ut exinaniti quodãmodo uitã ducamus? ubi reliqua quæ cõmemoraui? CAM. Quid si unico sacræ scripturæ testimonio ueteris testamenti hæc omnia satis aperta tibi commonstrauero? PR. Os meũ obstrues. CA. Sic in Leuitico Dominus inter cętera, quæ ibi legimus, loquitur: Decimo die mẽsis huius septimi, dies expiationũ celeberrimus erit, & uocabitur sanctus: affligetis animas uestras in eo, & offeretis holocausta domino. Omnis anima quę afflicta nõ fuerit die hac, peribit de populis suis.*Ieiuniũ quintũ præcipiens cũ omnibus à me narratis qualitatibus, q̃ in sãcto ieiunio cõcurrere debẽt. Hic sane in primis delectũ ciborũ habes, siquidẽ delectus q. aderat, sicuti paulò ante ostendi, mutatus nõ fuit: tẽpus ꝑterea specificũ statuitur cũ pœna, quẽadmodũ uerba illa docẽt: Omnis anima quæ afflicta nõ fuerit die hac, peribit de populis suis. Rursũ ut peccata mundare, alia uerba ostendunt, quando dixit: Decimo die mensis huius septimi, dies expiationis erit. Cũ nõ aliud expiare significet, quàm affligẽdo mundare. Afflictionem

¶5 Ieiuniũ à Deo cũ omnibus qualitatibus, quas nos hodie requirimus, præceptum.

Leuit. ca. 23.

ctionẽ uerò corporis,ter in textu habes.primùm, cùm ait: Affligetis animas ueſtras: ſecũdò, quãdo dixit, Anima quæ afflicta nõ fuerit: & tertio, Affligetis animas ueſtras. Hæc cogitans, ori tuo frenum impone, ut fidẽ oblatam ſerues. P R. Mortificationẽ carnis ſæpiuſculè ſcripturã tam ueteris quàm noui teſtamenti mãdaſſe legimus. At iſtæ quæ ſunt? illæ certè quæ aut patientiã mandatã à Deo in ueris doloribus, ſenſu iræ Dei, pauoribus & afflictionibus patimur: aut temperãtiam mandatã à Deo, frenãtem cupiditates, cõtinent. Affligere ergo corpora noſtra debemus, ſpiritu ſcilicet cõtribulato & fide, die illo in quo ieiunare debere dominus iubet. C A. Melãchthonis uerba iſthæc ſunt, qui auſus non eſt cũ quibuſdã ex ueſtris dicere, in textu illo ieiunij nullã mentionẽ fieri, ſciens nõ poſſe hoc deliriũ ſuſtineri, quandoquidẽ Hebræi ab initio propter Dei mãdatum die illa ieiunarunt, & uſq; ad hãc diẽ ieiunant, ita ut cõſuetudo obſeruãtiæ omne dubiũ tollat. Ad rem itaq; rediens, non abſq; pœnitentia ieiuniũ ualere (ne impœnitẽti remittãtur peccata) reſpondeo. Sed pœnitentia hæc ſpiritualis, alterã corporis afflictionem Iſraelitarũ nõ excludit, dum nõ ante ſtellæ apparitionem comedere poterant, quẽadmodum eorũ ritus, & experientia præſentis tẽporis docent. Non abſq; myſterio ſic factum, ut nõ ante noctem comederẽt: ut ſcirent, nocti eorum ſtatum teſtamenti ueteris cõ-

Melãchthõ.

paratũ eſſe, in quo poſt mortem limbũ tenebroſum adhuc ingrediebãtur: nos autẽ poſt meridiẽ idcirco comedimus, quia filij lucis ſumus. PRO. Ingens quidem diſcrimen eſt, inter opera à Deo inſtituta & ordinata quæ tu affers: & inter illa quæ homines excogitant, quæ nec ordinata, nec mandata à Deo ſunt. Diſcernantur igitur mandata diuina, ab hominũ mandatis, ſeu cæremoniis accerſitis ſine mãdato Dei. Sileãt præterea ieiunia iſthæc, quæ legis antiquæ cæremonię erãt, Chriſti aduentu excluſæ. CAM. Siſte gradũ, ne pręceps hæc tua oratio, confuſionẽ nobis pariat, donec quomodo per Chriſti mortẽ omnia conſummata fuerint, & futura eccleſiæ ieiunia Chriſti ieiunio ſacrificata extiterint, paulò pòſt uideas. Hactenus ſciuiſſe ſufficiat, quid Deus in lege antiqua præceperit, perpetuò iubens: Hoc ede, illud ne edas, & reliqua, quæ illo tempore ad excolendum ieiunium præceſſerunt: quæ cùm Melanchthon negare non poſſet concionatoris potius, quàm hominis diſputantis officio fungẽs, ut miſerrimos idiotas perdere poſſet, ad hoc aſylum confugit, quod apertiſſimam Chimæram eſſe iam iámque oſtendam.

CAPITIS SECVNDI § PRIMVS.

Naturæ ieiunium.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

QVod naturæ ieiunium? CAM. Naturæ ieiuniũ, omnis abſtinentia etiam coacta dici

poteſt:

poteſt:de quo agere non intẽdo,ſed de illo ieiunio naturali tractabo,quod ſpõte ſibi homo pro animę ſalute pręſcribit,abſque ullo Dei,Chriſti, uel eccleſiæ præcepto:quod idcirco naturæ ieiunium dicitur,quia naturali ratione homo à Deo motus mouetur ad hoc faciẽdum, quod animæ ſuæ conducit.PRO.Quid iſtud? CAM. Dixerat nanque Moyſes:Hæ ſunt feriæ Domini,quas uocabitis celeberrimas,atque ſanctiſſimas: offeretíſq; in eis oblationes domino, holocauſta, & libamenta,iuxta ritũ uniuſcuiuſq; diei, exceptis ſabbatis domini, doníſq; ueſtris,& quæ offeretis ex uoto,uel quæ ſpõte tribuetis domino, *quaſi præter illa ad quæ obligabãtur,iſthæc fierẽt. Ad quæ peragendũ,Deo mouente, ſola naturali ratione, nulla lege id iubente, pro animæ ſalute mouebantur:quod totũ aliis uocibus ſupererogationis opus à Theologis nuncupatur. Suadet nãq; naturæ ratio infirmo homini Philoſopho, ut propter corporis ſanitatẽ inediã patiatur:ſuadet quoq; eadẽ ratio Chriſtiano homini,qui de animæ infirmitate tractat, ut famẽ propter animæ ſalutẽ ferat: quemadmodũ Daniel,Samuel, Ioannes Baptiſta, & multi ſibiipſis ſpõtanea ieiunia præſcripſerũt,imò & Apoſtoli, nõ ut præceptũ in his traderent,magis autẽ ut nobis,quid facere deberemus, conſulerent. Sic enim Petrus (Clemẽte teſte)pane & oliuis quotidie ſpõte ueſcebatur, * ut quod naturæ ieiuniũ dici poterat,

*Leui.23.f.

¶Supererogationis opus, conſilij eſt.

¶Petri uita.

*Clem. lib.1. recogni.

ſanctũ cõuerteret. Soletis nãque Euſebium, uos Proteſtantes approbare: illum tu legas obſecro,* quãdo uobis epicureã uitã ducere optantibus, illorũ uitam enarrat, qui aqua & ſale uel hyſopo ueſcebantur. Hilarionis deniq; uitã lege à Hieronymo ſcriptam, qui pane, palmæ fructibus & aqua, corpus enutriebat,* nõ ut omnes heremitas eſſe uelim, imò potius, ut hi quibus tale remediũ neceſſariũ eſt, medicinam hanc diſcant, qua poterũt ſanari. Hactenus de ieiunio naturæ.

Lib. 2. c. 17.

¶ *Aqua, ſale & hyſopo.*

¶ *Hilarion.*

Tomo I.

CAPITIS SECVNDI: § SECVNDVS.

Eccleſiæ Iſraëlitarum ac cæterorum particularium ieiunia.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

AD eccleſiæ Iſraelitarũ ieiunia, tam cõmunia q̃ particularia nos conuertamus: quæ omni tẽpore propria ieiunia habuit, haudquaquam à Deo ſibi præcepta, ſed liberaliter ab illis ſibiipſis iniuncta. Ieiunabant nanque Hebræi quarto menſe, qui apud Latinos uocatur Iulius, die decimo menſis eiuſdem. Ieiunabãt & quinto mẽſe, qui apud Latinos uocabatur Auguſtus. Itidẽ & in ſeptimo, qui apud nos uocatur October. Mẽſe præterea decimo, qui apud nos Ianuarius dicitur: non quidem perperam, ſed propter tribulationes paſſas (quas Hieronymus enarrat) admonentes nos, ut poſtquam ab aliqua calami-

¶ *Ieiunia cõmunia eccleſiæ Hebræorũ, & particularia aliorum.*

Hierony. Zacha. 8.

tate liberati fuerimus, tūc maximè ieiunare debeamus: non autē deteriorem uitam deligamus, sicut passim omnes agunt. PRO. Nónne isthæc omnia Christi morte sublata fuerunt? CAM. Quomodo hæc se habeant, paulo post fusissimè dicemus. nunc autem hoc duntaxat tibi ostēdere nitar, quippe ut intelligas ipsi Deo ieiunia ab ipso non præcepta, sed ab ecclesia Hebræa iniuncta, mirū in modum accepta fuisse, quemadmodum uerba sequentia docent. Hæc dicit Dominus exercituum, Ieiuniū quarti, quinti, septimi, decimi, erit domui Iuda in gaudium & in lætitiam & in solennitates præclaras: Veritatē tātùm & pacem diligite.*PRO. Quid postrema uerba hæc significant? CAM. Quasi dicat, talia quidē hæc ieiunia uobis erunt, si pacem & ueritatē ieiunando diligetis: hoc est si futurū Messiam diligatis, ut in eius nomine ieiunetis: quandoquidē ipse ueritas est,*qui uobis dicit, In me pacem habeatis.*Tātæ enim uirtutis, itáq; Deo acceptum ieiuniū perpetuò fuit, ut non modò ea ieiunia ei placuerint quæ ipse iussit, quæq; ecclesia Hebręa instituit, uerùm etiā & cætera quæcunq; à PARTICVLARIBVS præcepta erant, modò aliquod imperium haberent. Sic enim Saul Rex dixit, Maledictus qui ederit panem usq; ad uesperam, donec ulciscar me de inimicis meis, *quod adeò graue præceptum fuit, ut iustè ad mortem Ionatas cōdemnari propter illius præuaricatio-

*Zacha. ca. 8.

*Ioan. 14.

*Ioā. 16. in fi.

*1. Reg. 14.

¶ *Ieiunamus, ut post superatas calamitates, Deo gratias agamus.*

¶ *Ieiunia ab ecclesia Israelitica instituta, Deo accepta fuisse.*

¶ *Ieiunia particulariū Deo accepta fuisse.*

¶ *Ieiunium à Saule ordinatum.*

¶ *Ionatam inspecto iuris rigore iustè condēnatum fuisse.*

nem potuisset.*PRO. Multi disputando iniustè *1.Reg.14.
Ionatam à patre cōdemnatum fuisse cōtendunt:
siquidē ignorans præcepti erat, & ignorātia excusat
à peccato. CAM. Efficit certè ignorātia coram
Deo, ut ignorantē peccare Deus aliquando
non permittat. Sic enim Regem Abimélech, Dominus
à peccato propter ignorantiam coniugij

¶ *Ignorātia quì prodesse poßit.*

Saræ liberauit.* Præstat quoq; ut mitius puniatur, *Gene.20.
Non tamen si ignorantia aliquē Deus peccare
permittit, peccatū propterea non erit. * Pōderanda *Tho.1. 2. q. 76.ar.3.4.
quidem uerba tex. sunt, ut idē Deus qui
Saul responsum (an certandum esset) propter Ionatæ
peccatum non dederit, Ionatam peccātem
ostenderit. Rursum & patris iudicium cogitare
debemus filium condemnātis. Filij quoque uerba,
quādo dixit, En morior: Populíque contradictionem
in uirtute Ionatæ, nō autē super ipsius
innocentia fundatā: ut his rectè expēsis, crassam
ignorantiā, id nesciendo quod integer populus
scit, rigore iuris inspecto, nullā excusationē mereri
dicamus: æquitate uerò considerata, Dei bonitatē
intueamur, qui Abimélech, ne propter ignorātiam
peccaret, à peccato liberauit: Ionatā
uerò ignoranter peccātem, à pœna peccati quod
cōmitti permiserat, & ob quam iustè puniri poterat,
propter ignorantiā misericorditer exemit.
Sic enim Paulus de se ipso cōfitetur, nēpe ut propter
ignorantiā peccati à culpa & pœna, ipsum
gratia Dei exemerit, non autē se peccasse negat,* 1.Timo.1.

crassam

crassam enim ignorantiam, culpæ latissimè Iurisconsulti comparant, qua accedente, mel, uoce præconia uetitum, peccando Ionatas comedit, eo quòd id ignorare quod scire uniuersi debent, à peccato (etiam Theologorum sententia) non excusat. *Denique uos Germanos rogabo, quale ieiuniũ cæteris durius in mundo excogitari possit. PRO. Abstinentia uini. CAM. Et tamen quando patriæ potestatis imperio, Ionadab filiis suis pręcepit ne biberent uinum in æternum: opus Domino acceptum mandauit. Sic enim historia recẽset, quòd cum offerret eis uinum Hieremias ut biberent, & illi bibere noluissent, hũc in modum locutus fuerit Dominus per Prophetam: Quia obedistis præcepto Ionadab patris uestri, non deficiet uir de stirpe Ionadab, filij Rachab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* PRO. Obedientiam, non autem ieiunium, ibi Dominus commendat. CAM. Obedientiam commendare fateor, sed obedientiam quę abstinentiam à uino comitem habebat, quam maximum ieiuniũ esse fateris. Adeò enim ieiunium Deo acceptum fuit, ut prius ieiunium aliquãdo pręceperit, quàm homo natus fuisset, quẽadmodum Samsonis historia docet, quando per angelum matri pręnuntiauit, uelle ut Samson Nazarenus esset: *qui pro lege habebant, ne biberẽt uinum. Hactenus ea quæ testamenti ueteris sunt, enarrasse sufficiat: ad nouum nos conuertamus.

*Thom. 1. 2. q. 76. 3 4.

*Hiere. 35. b.

*Iudicum 13.

¶ *Ieiunium à Ionadab præceptũ, ne filij biberent uinum in æternum.*

¶ *Samsonis ieiunium à Deo præceptum.*

¶ *Nazareni ieiunabant in uino.*

CAPVT TERTIVM.

Ieiunium quadragesimæ, cuius Elias & Moyses figura fuerunt: deinde uero à Christo consummatum, nobis sub pœna mandari, itidémque ut cæteris statutis ab Ecclesia temporibus ieiunemus.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

OMnia citata testimonia, tẽpore legis, seruitutis sibi locũ uendicabant: at nunc sub lege libertatis uiuimus,* quæ omne ieiuniũ excludit, nobis permittens ut omnia, omniq́ue tẽpore comedamus. CAM. Nónne pulchrũ audire hoc est, ut Iacobo itidem & Paulo spiritus libertatem commendantibus, tu carnis libertatem proponas? Sic enim Paulus ait: Vos in libertatem uocati estis: fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* & alibi: Carnis curam ne feceritis: * quoniam qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitiis.* PRO. Siue carnis, siue spiritus ipsa libertas sit, hoc in summa dico, nullũ ieiuniũ esse pręceptum. CA. A Christo, Apostolis & Ecclesia ieiuniũ esse pręceptũ, apertissimis sacræ scripturæ testimoniis probabo. PRO. Incipe hoc Christi mandatum ostẽdere. CAM. Ais tu Eliã Prophetarũ unum, quadraginta diebus ac noctibus ieiunasse?* PRO. Aio. CAM. Moysen quoque legislatorem?

*Iacob. 1. d.

*Gal. 5.

*Rom. 13.

*Gala. 5.

Christi mãdatum ut ieiuniũ quadragesimæ seruemus.

3. Re. 19. b.

*Exo.34.d. rem? *PRO. Aio. CAM. Ais prętera omnia illa, quæ ſub figura quaſi ſub umbra tunc uigebant, & tanquam à Chriſto conſummanda in ueteri teſtamento continebantur: ſic conſummata fuiſſe, ſicut ſcriptura prophetabat? PRO. Myſterium redemptionis humani generis, in cruce completum fuiſſe aio, quando Ieſus dixit, *Ioan.19.f. Conſummatum eſt. *CAM. Fateris ergo, Elię prophetę, & Moyſis legiſlatoris ieiunia quadraginta dierum, Chriſti prophetæ ſimul & legiſlatoris, ieiunium quadragenariũ figuraſſe. PRO. Quid tum deinde? nũ propterea quia Chriſtus ieiunauit, præceptum ieiunij ex hoc haurire poteris? uerbum uel unum Chriſti hoc iubentis oſtende, & protinus ſilebimus. CAM. Omiſſis multis quæ Chriſtus & dixit & fecit, non ut ea uobis mandaret, quin potius ut cõſilium daret, à Chriſto enarratis, & factis quæ conſilij duntaxat ſunt, unam in his quæ ipſe fecit regulam ſtatuamus: nempe ut quandocunque nos quoque illa facturos Ieſus prædicit, ſola imitatio pro lege habeatur. Sic enim illud intelligendum eſt: Omnis Chriſti actio, noſtra inſtructio eſt: & illud, ut omnes ſic ambulare debeamus, ſicut ipſe *1.Ioan.2. ambulauit: *ídque genus reliqua. PRO. Dem quoque hoc. CAM. Hæc cum ita ſe habeant, Ambroſium audiamus ſic dicentem: Vnum enim ieiuniũ domini fuit: quiſquis ergo Chriſtianus ſacratam ieiunio non impleuerit qua-

¶ *Eliæ & Moyſis ieiunia, Chriſti ieiunium figuraſſe.*

¶ *Quando imitatio pro lege habeatur.*

¶ *Probamus nũc ſola imitatio-*

ne Christi nos obligari, ut tempore quadragesimæ ieiunemus.

dragesimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quod legem diuinitus pro sua salute datam, prandendo ipse rescindit. Rescindit enim legem qui exemplum ieiunij domini ci non custodit. * PRO. Vbi tu legisti sic Christum ieiunasse, ut quadragesimæ ieiunium in nos transiret? CAM. Non satis tibi est Ambrosium hoc dixisse? PRO. Ambrosio nõ assentimur. CAM. Minimè isthuc intelligere poteris, nisi prius intelligas, trifariam legem factorum, quantum ad institutum nostrum attinet, partiendam esse: nempe ut quædam ex lege antiqua adhuc post legem Christi manserint: quædam in melius translata: quędam uerò extincta. PRO. Dic sigillatim. CAM. Prima pars eorũ erit, quę etsi mutato sacerdotio unà cũ lege immutata sint, * non tamen sic immutata fuere, ut penitus esse desierint, utpote si præcepta decalogi, & cætera generis istius consideremus, quæ si idcirco immutata dicuntur, quia tanquã Christi lex promulgata sunt: adhuc tamen ea de re durant, quia soluta per Christum non fuerunt. Hæc enim illa sunt propter quæ dixit, Non ueni soluere, sed adimplere legem, ut adhuc staret Ioanne teste, qui mãdatum charitatis, simul uetus & nouum esse dixit, inquiens: Mandatum uetus est illud quod audistis, iterum mandatum nouum scribo uobis *: uetus hoc est, quia sublatum nõ fuit: nouum, quia à Christo tanquã propria

** Ambr. sermo. 34.*

¶ Trifariã lex factorũ partiẽda est, ut sciamus quomodo translato sacerdotio ipsa lex mutata fuerit.

¶ 1. Pars.

** Dixi de libero arb. lib. 3. cap. 10. in prin. & § . 1.*

** 1. Ioan. 2. lege citatum § . 1. ubi fusius dixi.*

propria lex promulgatum extitit,ita quidem ut ad charitatem hanc, utroque præcepto obligemur. Altera uerò pars secunda legalium est,quæ sub præcepto in lege factorũ stant, ut pote circuncisio, cuius consummatio per Christi circuncisionem facta est,itáque facta, ut cæremoniæ illæ iam exclusæ,in pleniorem formam spiritualem baptismi Iesu, translatæ sint: sicut Paulus testatur. *Istiusmodíque generis reliqua ab Augustino aceruata. *Hæc enim Christus qui soluere legem non uenit,in melius omnia consummando transtulit, ut carnalia quæque spiritualibus cederent. Secundum quem modum & alios dies festos Hebræorum considerare poterimus, qui in nostros dies festos translati sunt: exempli gratia, dies festus Sabbati,Pentecostes, Neomeniæ, tubarum,tabernaculorũ,cœtus atque collectæ,qui in alios dies festos post Christi resurrectionem trãslati sunt,quemadmodũ doctores nostri narrant de singulis rationem reddentes, in quibus diebus festis eam ob causam nequaquam Hebræorum, sed Christi acta nos imitamur,quia uel ipse Christus aliud quod facturi eramus subrogauit, aut per Ecclesiam reliquos dies festos eam ob causam subrogandos reliquit, ut mutuo conspectu lætitia maior in nobis oriretur,siquidẽ dies festi nostri, qui iidẽ cum Hebræorum diebus festis esse uidentur: omnino alium ieiunandi tum modum tum fi-

¶2. Pars.

*Colo. 2.
*Epist. 86.

¶Festi dies legis antiquæ,in alios dies festos commutati.

*Tho. 1. 2. q. 103. art. 3. ad 4.

¶ 3. pars. nem habent.* Adest & tertia pars eorum, quæ etsi in lege præcepta erant, à Christo omnino exclusa fuerunt: uerbi gratia, immundities carnium, pisciúmque à Domino per Moysem uetita, quando dixit, Hæc sunt animalia quæ comedere debetis: Omne quod habet diuisam ungulam, & ruminat in pecoribus, in piscibus uerò omne quod habet pinnulas & squamas*, quę sic in aduentu eius qui legem implendo omnia consummauit, cessarunt, ut neque sint, neque in aliud translata fuerint. PRO. Demus ista sic esse. CAM. His concessis, si adhuc ultra perges, quęrens quid à Christo circa ieiunium habeamus: inuenies proculdubio, haudquaquã ieiunia legis antiquę, siue à Deo, siue ab ecclesia pręcepta, sic cessasse, ut in sanctiora ieiunia cõuersa non sint. Siquidem Iesus, quando modũ ducendi uitam beatam in hac mundi peregrinatione ostendit, minimè dixit, Nolite ieiunare, uel non ieiunabitis: sed sic dixit, Cùm autem ieiunabitis, ita ieiunate, ut à patre in abscondito uideamini, & ipse in abscondito reddet uobis. PRO. Non tamen dixit, tali die ieiunium uobis præcipio, sed cum ieiunas: in nostra potestate tempus relinquens, quãdo ieiunemus. CAM. Semel enim quod simpliciter dixit, Cum ieiunatis, ea ieiunia significauit, quæ post mortem eius obliteranda non erant, quemadmodũ paulò pòst dicemus: & hoc sub præcepto, siquidem ter

*Hiero. in epist. ad Galat. c. 4.

*Leui. 11.

¶ Altero Matth. testimonio Christum ieiuniũ præcepisse ostendimus.

Matth. 6.

ter Dominus noster in eodem capite sexto per eadem uerba loquutus fuit, Cum facis eleemosynam, cum oras, cũ ieiunas: & tamen tam orationem quàm eleemosynam præceptum esse iamiam patebit. *Ieiunium ergo futurũ Christus Apostolis & cæteris fidelibus ostẽdere uoluit: ut modum ieiunandi intelligerent, pro tẽpore quo ab eis Christi præcepto ieiunandum erat. PRO. Modum præsignasse fateor, pręceptũ autem nego. CAM. Sola imitatio pro præcepto tibi esse debet, dum fateris nõ idcirco Iesum ieiunasse, ut ieiunium omnino cessaret. Etenim si non ita cessauit, ut non esset, necesse est in aliud spirituale ieiuniũ esse translatum, & uetus quod cessabat, in nouum ieiunium utilius esse conuersum. Adaugent animum ut sic teneam, quia quo modo lex æterna propter imitationẽ tanquam præceptum à nobis habenda est, (quẽadmodum fusius alibi dixi)* eodem mẽs Christi, qui Deus est, ab Apostolis hunc in modum cognita, seruanda erat.

*Lib. 3.

*In lib. de gra. & lib. arb. c. 5. §. 2.

CAPITIS TERTII § PRIMVS.

Lucæ Euangelistæ testimonio, *Christum ieiuniũ præcepisse hoc loco ostenditur.*

*Cap. 5.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

FAcile quidem Christo fuisset, præceptũ hoc adeò necessarium apertis uerbis declarare, sed ideo non fecit, quia præceptum non erat. CAM. Quid si ieiunia tam à Christo quàm ab ecclesia instituta, tãquam diuinum præceptum

à nobis ſeruanda eſſe oſtendero? tacebis? PRO. Tacebo. CAM. Non modò ab eo ſacratum eſſe ieiunium legis antiquæ per ieiunium ſuum Ieſus declarauit, ſed etiam omnes Chriſtianos ad illius obſeruantiam, alio tamen modo obligauit, uerùm quia eo exiſtente in mũdo tale præceptum Chriſtiana eccleſia conſummare non obligabatur, hinc factũ eſt, ut poſt Chriſti mortẽ Apoſtoli, quaſi uoce pręconis ieiunij ipſius legẽ promulgarent. PRO. Oſtende nobis teſtimonium ſcripturæ aliquod hoc teſtans, & in tuam ſententiam deſcendemus. CAM. Cũ ueniſſent diſcipuli Ioannis ad Chriſtũ (Lucas ait) dixerũt ei: [Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequẽter, & obſecrationes faciũt, ſimiliter & Phariſæorũ: tui autem edunt & bibunt?] Vbi tres diſcipulorum cohortes, Ioãnis, Phariſæorũ, & Chriſti uides, quarũ duæ, Moſaicæ legis præcepta de ieiunijs adhuc ſeruabant: accuſantes tertiam cohortem diſcipulorum Chriſti, quod traditiones Eccleſię Iſraelitæ tranſgrederentur. [Quibus ipſe ait: Nunquid poteſtis filios ſponſi facere ieiunare?] audi uerbum poteſtis, quaſi dicat, Neque Moyſis, neque meo mandato eos ad ieiunium me præſente cogere uos poteſtis, quandoquidẽ ieiunium hoc quod uos ab Apoſtolis exigitis, afflictione conſummatur: & hoc, me eccleſiæ ſponſo præſente, filij mei uocati à me, ut mei eccleſiæque meæ filij ſint, ſeruare eam ob cauſam non obligantur, quia tempus lætitiæ nunc eſt, in

¶ Altero Lucæ teſtimonio Chriſtũ præcepiſſe ieiuniũ probamus.

in quo neque ieiunare, neque lugere debent, nõ autem dixit: Ieiunia omnino ſic ceſſarunt ut extincta ſint, non eſt amplius ieiunandum: ſed potius, ut ieiunia illa quę Moſaica erãt, & à diſcipulis Phariſęorum in ueteribus utribus ſeruabantur: ieiunio ſuo quadragenario in perfectiora ieiunia, tranſlata ſuo tẽpore à ſuis diſcipulis ſeruarentur: quo fit ut totum tempus uitæ Chriſti, diſpenſatio, ut ita loquar, ipſis diſcipulis ad ieiunium fuerit, dein uero tempus obedientiæ præcepti ſui ſequentibus uerbis declarant: [Veniet autẽ dies, & cum ablatus fuerit ab illis ſpõſus, tunc ieiunabunt in illis diebus.] ubi bellè uides, Ieſum ieiuniũ futurum prædixiſſe, non ut ſponte fieret, aut Moyſe id iubente obligarentur filij, imò potius ut tanquã mandatum nouũ ſuo tempore impleretur: ueteri mandato penitus obliterato, ut nullo modo cũ nouo cõiungatur, ſicut paulò pòſt dicemus. PRO. Nónne Anna prophetiſſa, atque Ioannes Baptiſta, & alij diſcipuli, in uita Chriſti ieiunarunt? nónne Dauid & cæteri in teſtamento ueteri, quos remuneratione dignos eſſe Deus per os Zacharię declarauit?* CA. Quãquam propter uerba quæ ſuprà dixerat: Nunquid poteſtis filios ſponſi facere ieiunare? omne ieiunium donec ipſe præſens eſſet excluſerit, adhuc tamen hi omnes ieiunare meritoriè potuerunt. quãdoquidem nõ id quærimus, an iuſtus, quo cũ ſpiritus ſanctus

*Zacha. 8.

¶ *Ieiunium uolũtarium præſente etiam Chriſto eligi poteſt.*

adeſt,ſponte ieiunare poſſit, ſed an iuſto donec ſponſus cum eo eſt, præceptum ieiunij impoſitum ſit. Sic enim iuſtorum ieiunium pro toto anno,etſi præceptum nõ ſit, uſque ad finẽ ſeculorum ab illis eligi potuit ac poterit, cum quibus ſe fore Ieſus ſpopondit.* alioqui quomodo Ioannes Baptiſta in Chriſti præſentia, nõ ſolùm abſque peccato, uerùm etiã meritoriè ieiunaſſet? Nam ſicut reliquo anni ieiunare præmium eſt(Ambroſius inquit) ita in quadrageſima non ieiunare peccatũ eſt:* Domino declarante hanc indulgentiam non ieiunandi,donec præſens eſſet,duraturam. Adhæc, duo exempla Dominus pro ratione accommodat, quorum alterum circa qualitates ieiuniorũ ueteris & nouæ legis nõ miſcẽdas tẽdit: alterũ uerò circa cõmemoratas cohortes diſcipulorũ cõparandas, ſubiungens: [Quia nemo cõmiſſurã à nouo ueſtimento immittit in ueſtimentum uetus] cõmiſſurã,locum unde pars ſciſſa à ueſtimento eſt,uocãs: nouum uerò ueſtimentum, nouũ pannũ in ueteri reſartũ, ut hac metaphora per uocẽ nouũ ueſtimentũ,nouũ ieiuniũ ab eo inſtitutũ,nouúmque hominẽ oſtẽderet: ꝑ uetus autẽ,uetus ieiuniũ, uterẽq; hominẽ ieiunãtẽ: prout paulò pòſt dicet, ad illud Pauli alludens,quãdo dixit,Expoliantes ueterem hominem cum actibus ſuis, & induẽtes nouum:* apertè oſtendens,ieiunia noua ſuo ſanctiſſimo ieiunio ſacrata, eam ob cauſam cũ ieiuniis

Matth. 28. & 76 diſt. c. poſt Paſca.

Serm. 34.

¶ *Duo exẽpla.*

¶ *Primum.*

Coloſ. 3.

ieiuniis ueteribus,ut ſimul ſtent,haudquaquam poſſe coniungi, quia noua Chriſti ieiunia referta ſpiritu ſancto ſunt,uetera autem timore ab illis adimplebantur,qui ad gratiam oculos non dirigebant :ut ſequitur,[alioquin]quaſi dicat,ſi noua pro parte capiantur, ut uetera reſarcirent, [& nouum rumpit]qui nouũ hoc modo capit, non capiendo integrum nouum, dimiſſo ueteri, ſed illud ueteri addendo:quod rumpere nouum eſt. [& ueteri non conuenit cõmiſſura à nouo] metaphora iſta docens, ut quo modo non conuenit ueſtimentum in commiſſura nouum eſſe,& uetus in reliquis:itidẽ qualitatibus his ueteris ieiunij retẽtis,nouas qualitates illis addere nõ liceat: manent nanque primæ ſub litera,iſtę autem ſub ſpiritu,quo fit ut hominibus adhuc ueteri cõſuetudini deditis,haudquaquã conueniant, ne illic quaſi cõciſio uideatur fieri,quæ ipſi uetuſtati nõ congruit. Tale equidẽ exordiũ Phariſæorum & Scribarum fuit, quare diſcipuli Ioãnis & Phariſæorum ieiunãt: quibus Ieſus reſpõdet,non poſſe ſuos diſcipulos cũ Phariſæorum diſcipulis ea de re ieiunare, quia illi ſub uetuſtate literæ ieiunabant:diſcipuli uerò Domini ſub nouitate ſpiritus legis antiquæ ieiuniis, in meliorẽ formã ſic trãſlatis,ut nullo modo ueteribus unirẽtur. Ecce primum exẽplum quod rerum fuit, ne miſcerẽtur noua cum ueteribus, & ieiunãdo poſt Chriſti aduẽtum,Iudæorum mores ſectaremur. Poſt

¶ *Exemplū secundum.* quæ ſecundum exemplum addit qualitatis perſonarum, dicens: [Et nemo mittit uinū nouum in utres ueteres.] Vinum nouum dona ſpiritus uocās, utres uerò ueteres ipſos homines qui legē ueterem in mēte duntaxat, nil in Chriſtū referētes, geſtabant. [alioqui rūpet uinum nouum utres, & ipſum effunditur, & utres peribunt.] PR. Quid iſtud, ut ſpiritus ſancti aduentus, utres rūpat, nō autem illos firmos faciat, atque capaces? CAM. Continuò nanq; bonus Deus ad oſtium ſtat, ut omniū animas ſaturet, à fructu frumenti, uini & olei ſui,* Siquidē calix in manu Domini *Pſal. 4.* uini meri plenus mixto.* Multi tamen ſunt qui *Pſal. 74.* uinū iniquitatis bibere eligūt,* in quibus Chri- *Prou. 4.* ſti uinum cum effunditur utres rūpit, & ibi non ut præmiū pariat, ſed potius ut puniātur, manet: iuxta illud Pauli, Qui indignè mādućat, iudiciū ſibi manducat.* Quocirca ne fruſtrà homo ie- *1. Cor.* iunet, partim mores Iudæorū ſequendo, partim uerò Chriſtum imitādo, ſtatim ſubiungit: [Sed uinum nouum in utres nouos mittendū eſt, & utraq; conſeruantur.] ſuos fratres hac metaphora oſtēdens, qui ſoli in ſpiritu & ueritate ieiunabunt, uerum Chriſti ieiuniū ab eo ſacratum imitantes, ut meritorie ieiunent, quaſi dicat: Ieiunant quidē Ioannis diſcipuli, ſed quia illi adhuc à me baptizati non ſunt, utres ueteres dicūtur, in quibus non decet ut uinū nouū immittatur: ſed in meis diſcipulis, qui noui utres ſunt, noui uini

capaces,

capaces,qui in ſpiritu & ueritate adorabunt,ieiu nabúntq;. quo exemplo iam patet,quàm longa differentia,tum Phariſæorũ, tum Ioannis Baptiſtæ diſcipuli,à Chriſti diſcipulis diſtabãt. Deinde addit:[Et nemo bibens uetus,ſtatim uult nouum:dicit enim,uetus melius eſt.[PRO. Quid uerba iſta præ ſe ferũt? CAM. Iudæos increpat, quaſi dicat,Perpetuò ego prõptus ad hoc faciendum ſum,gratiam uobis offerens,& dona ſpiritus mei,ſed ea accipere, legẽ Moſaicam meæ legi præponẽtes,minimè uultis:uinum nanq; nouum, hoc eſt ſanguinem meum uobis mea lex oſtendit, quem pro uobis omnia conſummãdo ſpargam,docens ut pro me ſic ueſtrum effundatis, ſicut Apoſtoli poſt ieiunium ſuum ſpargẽt: uos autẽ qui omne martyrium effugitis,ſic ieiunare nõ uultis,ut ad martyrij gratiã perueniatis. Dicitis nanq;, uetus melius eſt,ut nõ patiamur: non autem cum Dauide dicitis, Paratus ſum &
Pſal.118. non ſum conturbatus. Ecce iam patet,quot in in rebus ieiunium Chriſti diſcipulorúmq; ſuorum,à ieiunio Iſraëlitarum differat, ut nullo modo tum propter res, tum etiam propter perſonas miſceri poſſint.Habes quoque,non ſic uetus ieiunium ceſſaſſe,ut non ſit, ſed ut in nouũ longe melius transferretur. Chriſti ieiunio idcirco ſacratum, ut à ſuis diſcipulis,quando ipſe ſponſus abfuturus erat,omnino ſeruaretur,quãdoquidẽ nil aliud fecit Chriſtus,quando diſcipulis dixit:

Genus autem hoc nō eiicitur nisi in oratione & ieiunio,* quàm ieiunij semina seminare.* Itidē & quando dixit: Cùm ieiunas, unge caput tuū:* semina autem, post eius mortē spicas ieiunij germinarunt, itáq; germinarent, ut seruus sciēs uoluntatem Domini, & illam non faciens, uapularet multis.* semel enim quod dixit, in præsentia sponsi cogi non posse, satis expressit postea cogi posse: nō lege ueteri quæ in hoc cessauit, sed sua noua, ut uinū nouū in utres nouos mitteretur.

*Matth. 17. Chryso. sup. Matth. 17. *Matth. 6. *Luc. 12. f.

CAPITIS TERTII § SECVNDVS.

Quòd Ieiunium ab Apostolis fuerit præceptum.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

HAec cùm expendissent Apostoli, Dominū imitantes, spiritúmq; sanctum secū habentes, ad aliorum exēplum, quamuis iusti ieiunare cœperunt:* atq; suo decreto confestim ecclesiæ præceperūt, ut singuli quotquot essent, quadragesimale ieiunium, & cætera ab ecclesia constituta obseruarent. PRO. Insomniū hoc esse tripartita historia commonstrat, nempe Apostolos suo canone id statuisse: sic enim Epiphanius historiæ author ait,* Non enim hoc Saluator, aut Apostoli, lege prædicarunt, nec pœnam aut supplicium, aut maledictum, sicut lex Mosaica Iudæis, nobis aut Euagelium aut Apostoli sunt minati. CAM. Quo scilicet tempore Paschæ diem

*Acto. 13. *Lib. 9. c. 38.

diem festũ, & quẽ in modum celebrare debeamus, de quo tractabatur: quod autem Apostoli per quadraginta dies ieiunandũ esse nõ præceperint, his uerbis nõ aperit. PRO. Paulò planè pòst, per tres septimanas Romanos ieiunasse eadẽ historia testatur: Illiricos, Hellã, & Alexãdriã, per sex septimanas: alios uerò, septẽ. Postea uerò hæc subiungit: Et quia lectio nulla ex hoc inuenitur antiqua, puto Apostolos, singulorum hoc reliquisse sentẽtiæ: ut unusquisque operetur nõ timore, non necessitate, quod bonũ est. CAM. Cùm multo tẽpore Canones Apostolorum, cũ propter diuersum numerũ, an plures uel minores essent nécne, tum etiam propter multa quæ deprauata in illis legebantur, in suspenso steterint, ut pro canonibus ab ecclesia approbarẽtur, quemadmodum lõgo sermone Gratianus narrauit*, hinc factum est, ut illo tempore Tripartita historia, dum quærebat, an Quadragesimæ ieiunium Apostolorum decreto iniũctũ fuerit, per uerbum puto, pręmissa uerba (ut quibusdã placet) responderit. Mea tamen sententia, neque Epiphanius canones ignorauit, neque contra illos aliquid statuit, quandoquidem in lib.3. contra Audianos, eosdem canones approbat, & in citato à te loco, quadragenarium huius ieiunij numerũ uerũ esse fatetur. Imò longius progressus, quare quadragesimę ieiunia illa uocauerint, quæ uel minori uel maiori numero conclude-

¶ *Diuersi modi ieiunandi in quadragesima.*

¶ *Canones Apostolorũ in suspenso detenti.*

* *Dist.16.*

bantur, magnopere miratur. PRO. Miratur certè: sed hoc miratur, quare quadragesimæ nomē trigesimæ, uel quinquagesimæ assignauerint. CA. Hoc potissimū argumento cōuinci debes, quoniā si quadragesimā trigesimā uel quinquagesimam uocari uolebant, satis constat, quadragesimam in Christiana ecclesia tunc esse seruatā. PRO. Quid ergo Epiphanius tantæ authoritatis uir contendit? CAM. Minime Epiphanius quadragesimę ieiuniū ab Apostolis esse præceptū negauit: sed qua cōmedenda essent ratione, ab eo in loco illo enarrata, silētio præteritū fuisse contēdit. PRO. Vnde hoc hauris? CAM. Cum Epiphanius de diuerso modo comedendi, illo in loco paulò antè tractasset, inquiens: Nā alij omnino ab inanimatis abstinēt: alij ex animatis piscibus solummodo comedunt: quidam cùm pisces manducant, & uolatilibus uescuntur: dicentes, hæc secundum Mosen ex aqua habere substantiam: alij uero & caulibus & ouis abstinere noscuntur: quidam sicco pane uescūtur: alij neque hoc: alij usque ad nonam ieiunantes horam, sine discretione ciborum reficiuntur, & innumeræ cōsuetudines apud diuersos inueniūtur. Post hæc uerba, ea quæ uos ponderatis, ueritate comite subiūxit, eo quod neque in scriptura antiqua, præceptum speciale hac de re, qui scilicet cibi comedendi forēt, traditum est: neque in decreto Apostolorum cōtinetur, cuius uerba hæc sunt:

¶ *Diuersi cibi.*

[Si

[Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cãtor, quadragesimã Paschæ, aut quartam feriam, aut parasceuẽ non ieiunauerit, deponitor: prȩterquam si imbecillitate corporis impediatur. Si uerò Laicus sit, cõmunione priuetur.] Quo fit ut rectè dixerit, in uniuscuiusq; potestate esse relictũ, ut delectũ hũc giborũ statueret, donec Ecclesia cibos aptiores delegisset, quemadmodum non longè pòst consummatũ fuit. Sic enim intelligendo, nil mali Epiphanius dixit. PRO. Quid si aliter sensisset? CAM. Canoni Apostolorum hærendũ esse mordicus cõfirmarem. Siquidem nõ solùm patres Apostolorum canones sequũtur, inter quos Zepherinus, Ignatius, Victor, Leo, Athanasius, Anacletus, Inno. Eusebius, quos Gratianus *& post eũ doctores citant, uerùm etiam & in uniuersalibus Cõciliis comprobati sunt: nimirum Carthaginẽsi, Niceno: Synodo Cõstãtinopolitana, Antiochena, Calcedonẽsi. PRO. Mira quidem res est, neminẽ testari Apostolos quadragesimæ ieiuniũ obseruasse. CAM. Mira satis: uobis qui Hieronymum contemnitis, Ambrosium item & Augustinũ Martino Luthero æquales esse negatis. Chrysostomũ, Gregorium, & cæteros omnino excluditis, qui ipsos Apostolos hoc ieiuniũ seruasse testãtur* PRO. Quid si nõ modo hos, sed canones, omnes patres, & Cõcilia excluderemus? CA. Quando tu hos excludes, ad ursos ut cũ eis

¶ Apostolorũ decretũ, ut in quadragesima ieiunemus.

**Dist. 16. & dist. 2. c. de libellis.*

Apostolorũ ieiunium.

**Chrys. hom. 58. & Matth. c. 17. col 5. acto. 13. Hierony. in Matth. 12.*

dispures te ablegabo, & notorios hæreticos uos esse iudicabo, qui scripturis ab Ecclesia catholica receptis parere non uultis. PR. Si Apostolorũ canones illi fuissent utique in Bibliis, in quibus omnes libri canonici noui testamenti cõtinentur, comprehensi fuissent, quod eam ob causam neglectum est, quia Apostolorum nõ sunt. CAM. Tẽpus controuersiæ, an canonicus liber esset, satis suprà expressum est: unde prouenit, ut ne alij (sicut hodie uos contenditis) dicerent, ecclesiam ab homine, & non à spiritu sancto editionem uulgatã accepisse: absque canonibus illis, Biblia hunc in modũ custodienda duxerunt. PRO. Cur saltẽ postea hoc nõ egerunt? CAM. Satis est quòd Ecclesia tunc rata est, atque nunc putat, à conciliis uniuersalibus & Papa librũ illum esse receptum: ad quos de canonicorum librorũ authoritate iudicare spectat. * Hactenus de hoc Apostolorum decreto, qui iuxta Christi præceptum post eius mortem legem ieiunij expressis uerbis promulgarunt.

** Diximus in libro de uera ecclesia dei, dialogo 2.*

CAPITIS TERTII § TERTIVS.

Ieiunium Quadragesimæ ab Ecclesia confirmatum.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

¶ Ecclesiæ præceptũ, ut in quadragesima ieiunemus.

ERit tertio loco quadragesimale ieiunium obligãs præceptũ ab Ecclesia Christiana nobis iniunctũ. PRO. Ecclesiæ tu hanc potestatẽ cõcedis, ut cõtra ius diuinũ, ieiunium sub pœna præcipiat?

præcipiat? C A. Cũ nil cõtra ius diuinum ecclesia Christiana attẽtet, & ista liberior illa ecclesia Hebræa sit, quæ ieiunia Deo accepta ab omnibus seruanda cum pœna & remuneratione præscripsit, quemadmodũ suprà dictum fuit: quid impediat, quin nostra Ecclesia in spiritu sancto congregata Apostolorũ decretũ, imò & Christi sequens, idipsum agere possit, non uideo: quòd si ei liceat, uidete quomodo Concilia ubique quadragenarium ieiunium ecclesiã seruasse testẽtur: Cõciliũ scilicet Aurelianũ, canone 26. de conse. dist. 3. c. Sacerdotibus. Conciliũ Laodicẽse, can. 50. Concilium Cæsaraugustanum, can. 2. de conse. dist. 3. c. Ne quis ieiunet. Conciliũ Agatẽse, cano. 12. de cõse. dist. 3. ca. Placuit ut omnes. Conciliũ Bracarẽse, cano. 9. de conse. di. 3. c. Placuit ut postquã omnia. Conciliũ Toletanum 8. c. & 9. Quibus Conciliis, Cõcilium Coloniẽse Germanũ nationis uestræ, quod idipsum sentit, addere debetis, dũ uos admonet ne uelitis quasi obstinati atq; inemẽdabiles cũ illis errare, quorũ Conciliũ Gãgeuense, c. 19. meminit, hũc in modum loquens: Si quis eorum qui continentiæ studẽt, (absq; necessitate corporea) tradita in cõmuni ieiunia, & ab ecclesia custodita, superbiẽdo dissoluit, stimulo suę cogitationis impulsus: anathema sit. Sed quid frustra canonem hũc ad uestrã doctrinã citaui, qui cõtinentiæ seruandæ non studetis: sed potius antiquas hæreses ut po-

¶Concilia quæ quadragenariũ ieiuniũ seruandum esse iubent.

puli aurã captetis dolo renouare insudatis? quãdoquidem noua doctrina hæc minime est, sed Arianorũ hæresis, mille abhinc annis damnata. Inde uerò à Iouiniano, Vigilãtio, Valdensibus, Vuiclepho, Hussitis, ac nouissimis istis diebus, à Luthero & uobis, uelut ab inferis suscitata, minimè aduertẽtibus, quòd si hæc omnia cessarent, adhuc ieiunare obligamur. PRO. Quare? CAM. Quoniã sola ecclesia, authoritate clauiũ sibi datarũ, non solũ probabilem populi cõsuetudinem de ieiuniis, quæ ex non scripto iure, populi sibi præscripserant, potuit approbare, uerũ etiã legẽ, nouũ ieiuniũ præcipiẽtem promulgare. Hoc enim Augustini consiliũ est, ut in his rebus, in quibus nil statuit scriptura, prout uos cõtenditis, mos populi Dei, uel instituta maiorum pro lege tenenda sint*. Tantam profecto potestatem consuetudini ecclesiæ spiritus sanctus in ieiunio tribuit, ut tametsi usque ad Ascensionẽ ieiunandum minimè sit, quia tamen sponte populus hanc sibi consuetudinem pręscripsit, ut sponte in uno ex quatuor tẽporibus, & in uigilia Pentecostes ieiunaret, id ecclesia rectè cõfirmauerit: quoniã aliud est nõ posse homines cogi ad ieiunandũ ex præcepto, sicut Christus loquitur, quòd Thomas iustè tenuit.* Aliud ut postquã populus ex iure nõ scripto sic nos obligauerit, ab ecclesia sit cõfirmatũ. Hoc enim casu obligamur ne dicamus ullã Conciliorum ordinatio-

¶Vnde hæc hæresis prouenerit.

¶Sola ecclesia potest ieiuniũ præcipere.

¶Quare inter Pascha et Ascensionẽ certis diebus ieiunamus.

* Hiero. ad Licinium, epist. 86.

*22. q. 147. ar. 5. c. & 4. dist. 15. q. 3. ar. 3. q. 1. ad 4. & 5.

nationem, ad peccatũ nos obligare posse. Quid enim aliud Ecclesia agit, cũ à carnibus abstinere iubet, & cibis aridioribus uti, nisi ut luxũ temperet? hoc uobis displicet? propterea Concilia uniuersalia abnegatis? propterea ipsam ecclesiã totam, ne nouã legem possit promulgare, & diuinã legẽ ut tempus postulat interpretari, sicut in re hac factũ est, negatis? Negate Christũ qui hanc ecclesiæ potestatẽ tradidit, inquiens, Qui uos audit, me audit.* Delete ex actis Apostolorũ testimonia illa quæ fidẽ faciũt, multa in Cõciliis Apostolos edidisse decreta, quibus gẽtilibus quoq; legẽ nõ integrã tradiderũt. Et deniq; scripturas omnes, ac patres isthæc clara uoce testantes abnegate: uobis autẽ epicuream uitam ducere uolẽtibus, discipuli uestri intemperati, uẽtrique indulgentes credant. PRO. Thelesphori ergo pręceptum hoc erit quadragesimam instituentis, non autem Christi & Apostolorũ: quod ubi ita sit, ualeat Thelesphorus cum papatu suo. CAM. Ieiuniũ quadragesimale quod propter naufragium Canonum Apostolorum pro eo tempore non receptorum (ut dictum est) in aliquam desuetudinem abierat: quo has inæquales consuetudines auferret, ut ante Pascha quadragesima ubique obseruaretur, Thelesphorus statuit: non autem ipse illud quasi nouum ieiunium in Ecclesia instituit, tametsi hoc facere potuisset: neque aliquid præter hoc addidit,

*Luc 10.

¶Quid Papa Thelesphorus egerit.

ut per ſeptem hebdomadas monachi ieiunarẽt*: Diſt.4.ca. Quadrageſima.
quemadmodũ in ſuo canone patet, cuius tenor
hic eſt: Statuimus ut ſeptẽ hebdomadas plenas
ante ſanctũ Paſcha omnes Clerici in ſortẽ Domini
uocati, à carne ieiunent: quia diſcreta ſicut
debet eſſe uita Clericorũ à Laicorũ conuerſatione,
ita & in ieiunio. * Laicos in antiqua quadraginta
dierũ cõſuetudine relinquẽs, quã Gregorius
à pręmiſſis diſcreuit.*P R O. Cur Romæ Petrus
permiſit, ut quadrageſima 30. dierum eſſet?
C A. Quid impedit, quin conſuetudo hæc, intra
annos ſeptem, in quibus Petrus, Euſebio teſte,*
Antiochiæ præfuit, Romę inoleuerit? Vbi poſt
Petri ingreſſum eandẽ conſuetudinẽ Romæ ſeruatam
eſſe Epiphanius legit? P R O. Fide dignus
hiſtoricus eſt. C A. Nõ tamen de hoc aliquid teſtatur,
neque legum lator fuit. At quid ſi Petrus
iſtud toleraſſet? nonne Eccleſia Romana tolerat,
ut Mediolanenſis Eccleſia quinq; diebus minus
in quadrageſima ieiunet? Nónne lanij ueſtri in
Germania, qui Romanã Eccleſiã ſequũtur, non
modo ieiunant, ſed perſonati illis diebus incedunt?
& tamẽ tolerãtur. Nónne adhuc Indorum
circuncíſionẽ Eccleſia Romana eam ob cauſam
nõ improbat, quia nõ per legem Moyſis, ſed per
gratiã Ieſu Chriſti credũt ſaluari: ſatiúſq; eſſe ſic
illos tolerare arbitratur, quàm ut peioris mali
occaſio detur. ſic enim multa Eccleſia ſpõte patitur
propter periculum alicuius criminis, uel

ſchiſmatis,

*Diſt.4.ca. Statuimus.

*Diſt.4.ca. Denique.

¶ Diuerſus numerus dierũ ab eccleſia toleratur.

¶ Multa ab eccleſia tolerantur.

Mediolanũ.

Germania.

Indi.

ſchiſmatis, donec Dei ſpiritus aliter prouideat.* Sic & Apoſtoli omnes, aliqua ſpiritu ſancto ſuadēte ad tēpus tolerarūt, & pręſens eccleſia lupanaria quoq; ex cauſa tolerat, & id genus reliqua innumera quę propter maius bonū eccleſia permittit. P R O. Auguſtinū in re hac audiamus oportet, cū ait: Ego in euangelicis, & apoſtolicis literis uideo ieiunium eſſe præceptum: Quibus autē diebus oporteat uel non oporteat, pręcepto domini definitū nō inuenio.* C A. Cur Auguſtini hāc ſentētiā ex parte reiicis, ex parte uerò approbas? P R O. In quo? C A. Euangelicū præceptū hoc eſſe Auguſtinus inquit, quod tu negas. P R. Reliquis reſpōde. C A. Verba iſthæc Auguſtini eſſe fateor, qui non propterea dicit Apoſtolorū eccleſiæ poteſtatē denegatā eſſe, & cæteris ſucceſſoribus, declarandi tēpus, ſicut factū eſt, Chriſto in hoc cōformes ſeſe reddendo, qui ſatis numerū declarauit, quadraginta diebus & noctibus ieiunādo, cuius imitatores eſſe obligamur. P R. Si imitatio in cauſa eſt, ut Chriſti figurati præceptū ipſa quadrageſima ſit, quā Apoſtoli & eccleſia cuſtodiri iubent: cur Eliam & Moyſen, qui hāc quadrageſimam figurabant, ſancti patres ueteris teſtamenti imitati nō ſunt? C A M. Quia legis Domini illi non erant, ſicut Chriſtus eſt: *& Paulus docet, ut nullius hominis imitatores ſimus, niſi unà Chriſtum imitemur: qui adhuc ieiuuiū nō conſecrauerat: mox

*23. q. 4. ca. no. Non poteſt.

*Epiſt. 86. col. 10.

*Matth. 12.

Lupanaria.

¶ *Quibus diebus ieiunandum ſit.*

¶ *Quare patres ueteris teſtamenti, Eliam & Moyſen imitati nō ſunt.*

enim cùm dixerat, Imitatores mei estote, quasi euestigiò Paulus subiũxit, Sicut ego Christi.* Nõ tamen latere uos uolo, sic Israëlitas ieiunasse, ut pro uno die annũ ieiunarẽt, quãdo non quadraginta diebus, sed quadraginta annis in Eremo fuerũt. Siquidẽ desertũ omne ieiunium est, ubi neque accuratæ epulæ, nec uina pretiosa, nec ante cibum sumere poterant quàm Deus illũ elargiretur. itaque fercula sibi pręparabãt, ut quãdo superfluum seruassent, uermes magis abscondisse dignoscerẽt.* PRO. Consecratũ? CAM. Hoc expauescis quia dixi consecratum? Dic rogo an ieiunium aliquod in Christum nõ relatũ, mereri æterna possit? PRO. Nullũ. CAM. Quod si nullum, & Christus declarauit ieiunium in occulto factum, mercedem à patre habiturũ, nõne satis constat sua cõsecratione, quando ipse ieiunauit, ac propter eius passionem, omne nostrũ ieiunium mereri. non quidem uocabulũ nouũ profero, cùm uoce consecrationis utor, sic enim omnes patres locuti sunt.* O uos insani, & quare non consideratis, non aliud esse ieiuniũ Quadragesimæ, nisi solutionem quãdam decimæ tẽporis uitæ uestræ? cur non animaduertitis hanc quadragesimam, præparationẽ quoque ad cœnam domini esse* quam uos rectius nobis exercere contenditis? ieiunium uerò, quo animã ad illud præparamus, effugitis. & hoc unde, nisi iudicio Dei? ut qui falso Christum in Eucharistiæ sacra-

Marginal notes:

* 1. Cor. 4.
* ¶ Iesus ieiunando ieiunium consecrauit.
* Ambro. ser. 34. in fi.
* Aug. in sermo. de temp. ser. 64. in ser. 1. de conser. euan. lib. 2. c. 4.
* Amb. serm. 36.

Hiero. super Matth. 4.
Hiero. in Ionam. cap. 3.

ſacramēto adeſſe negatis: nulla quoque uos præparatione egere ad ſumēdum Christum, ſuperbè præſumatis. PRO. Curſatius non dicemus, Christum hoc ſuo ieiunio pro omnibus ſic ieiunaſſe, ut nemo deinceps ieiunare obligetur? CA. Hoc mendaciū in ore diſcipulorū ueſtrorū poſuiſtis, ut uix de ieiunio interrogati, præmaturè reſpondeant, Christum pro omnibus ieiunaſſe: aduerſum quos præter ea quæ ſupra dicta ſunt, per quę probauimus Christi pręceptum ieiuniū eſſe, ſequētia nos excipere ſolemus: Christus quoq; pernoctans orauit:* Nolite uos pſalmos concinere in Eccleſia Dei, & Paulum, imò Christū mendaces faciatis, qui nobis orationē tanta ſolicitudine præcipiunt*. Christus quoque pro nobis crucifixus eſt, & abūdè pro præteritis, præſentibus, & futuris ſatisfecit: faciamus ipſum mendacem, & crucem non tollamus, quam unumquēque tollere debere iuſſit, in ea uocatione in qua eſt uocatus.* ieiunauit nanq; Christus, ieiuniúmque ieiunādo propterea ſacrauit, ut eius imitatores eſſemus, & cùm ipſe pro ſalute noſtra famē ſuſtinuit, nō ita ſuſtinuiſſe dicamus, ut eandem ſuſtinere nos nō obligemur: immò potius nos pro peccatis noſtris ieiunare haudquaquam formidemus, credentes illius ieiunio noſtrum mereri, ut ieiunando gratia eius comite, ſatanæ tentationes minimè metuamus.* Exemplum enim nobis dedit, ut quo-

¶ Proteſtātium ſophiſma, Christus pro nobis ieiunauit, ergo nos ieiunare nō debemus.

* *Luc. 6.*

* *Matth. 26. & 1. Theſ. 5*

* *Matth. 16. & 1. Cor. 7.*

* *Aug. ſer. de temp. 157. in octaua Paſchæ, ſerm. 1.*

modo ieiunio præuio satanã tentantem ipse superauit, eodẽ & nos ieiunãdo illũ imitãdo, suis armis ad superandũ satanã instrueremur. * PR. Caietano in sua Summula placuit, trãsgressionẽ ieiunij peccatũ nõ esse, præterquã si in contemptũ Ecclesiæ fieret. CAM. Caietanũ Thomã sequentẽ hoc dicere uoluisse puto, ut quosdã dies festos Ecclesiæ Christianæ, proinde & illorũ ieiunia, quæ à Christo, Apostolis, uel Ecclesia, principio præcepta nõ fuerãt, sed à cõsuetudine populi initiũ habuerunt, si trãsgrediãtur, peccatũ mortale non parere. PRO. Quid apertis eius uerbis respõdes? CA. Si contendat ieiuniũ nullo modo esse præceptũ, in hoc Augustino in iamdudũ citato loco contradiceret, cũ ait: Præceptũ ieiunij uideo, sed quando ieiunandum sit, non uideo. * Si autem ieiunium nullũ præter ipsam quadragesimam esse præceptũ cõsiderauit, hoc contra Apostolorũ canonẽ esset, qui ieiunium quartæ & sextæ feriæ, quæ à consuetudine orta fuerãt, ut seruarentur statuit, ita ut cætera eiusdẽ potentiæ sint, quę Ecclesia pręcepit. Aut de ipso Quadragesimę ieiunio loquitur, & in hoc Ambrosio assentiremus, qui dixit: Nã sicut reliquo anni tẽpore ieiunare pręmiũ est, ita in Quadragesima nõ ieiunare peccatũ est: illa enim uoluntaria sunt ieiunia, ista necessaria: illa de arbitrio ueniũt, ista de lege: ad illa inuitamur, ad ista compellimur. * semel enim quod contra legem est,

Caietani opinio, cui placuit trãsgressionem ieiunij, peccatũ nõ esse.

Chryso. in Gene. hom. 1. col. 3.

Epist. 86.

¶ Quadragesimæ ieiunium, si pro parte prætereatur, peccatũ est: si in totũ, sacrilegium cõmittitur.

Serm. 34. & dist. 4. c. deniq;. infi.

est, absque contemptu Ecclesiæ peccatū erit: siquidem peccatum cogitatum, dictū aut factū contra legem originalem est: lex autē originalis ipsa uoluntas Dei.* & omni lege, ieiunium hoc esse præceptum, Augustini quoque testimonio constat. * Alio item in loco Ambrosius: Nō leue peccatum est Quadragesimā nō ieiunare,* cui Augustinus subscribit, subiungens: totum nō obseruare, sacrilegium est, ex parte autē uiolare, peccatum.* PRO. Non quidem decernēdo omnia decreta ieiuniorū statuta sunt, sed exhortando cōscripta: decretum enim necessitatē facit, exhortatio autem liberam uoluntatem excitat.* CAM. Fateor in his quæ consilij sunt, exēpli gratia, Septuagesima, Quinquagesima, abstinentia à uino, & sumptuosis marinarū belluarū cibis,* nō autē Quadragesimā, aut alia ieiunia lege præcepta frangere, carnes, oua, & caseū comedendo, ubi in Quadragesima casei & butyri cōtraria consuetudo non uigeat, aut in cæteris ieiuniis, etiam quo ad oua & sagimen.*

*Augu. con. Faust. li. 22. c. 27.
* Epist. 86.
* Serm. 25.
* Aug. in ser. de temp. 62. sabbato post dominicam in quinqua. serm. 1.
* 4. dist. c. Deniq; §. fi.
* Dist. 4. c. Denique.
* Dist. 82. c. Presbyter et ibi glo. & glo. in c. Admonere.

¶ Casei & butyri consuetudo in Quadragesima.
¶ Ouorū et sagiminis in cæteris ieiuniis consuetudo.

CAPITIS TERTII § QVARTVS.

De uarietate temporum, diuersitatéque ieiuniorū, quibus Ecclesia reliquis diebus festis utitur.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

QVid de cæteris ieiuniis ab Ecclesia institutis sentis, de quibus ne uerbum quidem in

euãgelica lege intuemur? C A. Potestas hæc Ecclesiæ cõmissa fuit. P R O. Nũ ut mille colorũ in cæteris diebus festis, ieiunia in Dei Ecclesia cernantur? C A. Nõ quidẽ propterea inuicem certabunt, si id aduertas, quòd de Ecclesia Dauid scripsit, cũ ait: Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato circũdata uarietate.* P R O. Verba hæc postrema, circũdata uarietate, Hieronymus eã ob causam nõ posuit, quia Hebræa editio nõ sic habet. C A. Vulgatæ Augustinus stat* (cui nos stare debere alibi ostendi)* inferens ex hoc, sat esse unam fidem uniuersę, quę ubique dilatatur, Ecclesiæ, omnisq; eius pulchritudo intrinsecus: illæ uerò obseruationes quæ uariè celebrantur, in eius ueste manere intelligantur, cui Hiero. subscripsit inquiens: Sed ego illud breuiter te admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas (præsertim quæ fidei non officiant) ita obseruãdas, ut à maioribus traditæ sunt. Et paulò pòst: ut unaquæque prouincia abundet in sensu suo: & pręcepta maiorũ leges Apostolicas arbitretur.* P R O. Quis Ecclesiarũ diuersam partitionem hanc patiatur, ut quidam festi Apostolorum dies ieiunia habeant, quidam uerò non? C A M. Festum Philippi & Iacobi idcirco ieiunium nõ habet, quia inter Pascha & Pentecostẽ celebratur, quod gaudij tẽpus est, lætitiæ, & exultationis, quia Saluator noster surrexit à mortuis, intra quod neminẽ ad ieiunandũ Ecclesia compel-

* *Psal. 44.*
* *Epist. 86.*
* *In lib. de uera ecclesia Dei. dialo. 2.*
* *Hiero. in epi. ad Lucidium. col. 3.*

cõpellit. Iacobi etiã Zebedei Apoſtoli dies feſtus apud quoſdã uigiliã nõ habet, eo quòd occiſus fuerit i diebus azymorũ. Bartholomæus itẽ propterea uigilia caret, quia una die decoriatus, & ſequenti die obiit: ieiuniũ uerò ante diẽ mortis eſt, & ne normam Eccleſiæ, quæ diem præteritũ pro uigilia aſſignat, frangerent, & tertia dãda eſſet ieiunij dies: in multis partibus neutrum fecerunt. Thomas præterea uigiliam eam ob cauſam non habet, quia tẽpore aduentus uenit. Barnabas quoque uigilia caret, quia Apoſtolus non fuit. Mathias item, qui in tẽpore ieiunij ut plurimũ uenit. Minime Ioannes Euangeliſta ieiunium habet, eo ꝙ Gloria in excelſis canere debemus. *Hæc uerba Auguſtini ſunt, quę ad eruditionem eorum, qui Auguſtinum non legũt, ſcripſi, ne deinceps cum quibuſdam fatuis inſaniant, qui dicunt, eos Apoſtolos uigilias habere qui à dextris ſedent, nõ autẽ illos qui à ſiniſtris. Eccleſia tamen & Mathiæ & cæterorum Apoſtolorum uigiliis ieiunandum eſſe ſtatuit, propriam conſuetudinẽ unicuique eam ob cauſam relinquens, quia à conſuetudine omnes uigiliæ poſt Apoſtolorũ canonẽ pręceptę, originẽ ſumpſerũt. Rurſum ne cũ illis quoq; errent qui maximè admirantur, quare die ſabbati in Hiſpaniis quaſdã partes animaliũ comedãt, ignorantes à conſuetudine ieiunia exordiũ habuiſſe: ita ut licito iure die ſabbati quidam ieiunent, quidam

*Auguſt. ad fra. in Eremo, ſer. 25.

¶Galliæ cõsuetudines.

uerò nõ.* quemadmodum in parte Galliæ à die Natiuitatis Domini, usq; ad diẽ Purificationis quædã prouinciæ carnibus iustè ꝑpter cõsuetudinẽ die sabbati uescuntur, inde uerò tẽpore rogationũ ieiunant. Itali uerò diebus sabbati carnes nõ comedũt, & ĩ rogationibus nõ ieiunãt. In Gallia die sancti Marci in ipso festo ieiunãt: Venetiis autẽ oppipara cõuiuia habẽt: istiusmodíq; generis cõsuetudines innumeræ. Comedũt nãq; in Gallia butyrũ & lac, caseum autem gallicum non comedunt. Vescuntur item caseo qui herbis coaguletur (quam qualitatem Parmæ caseo tribuunt) quo Itali in Quadragesima absq; dispensatione minime utũtur: & tamẽ utrũq; propter consuetudinẽ toleratur. Verùm in calce illorum, sequentia uerba confestim Augustinus subiungit.* Rogo tamen uos fratres, licet ieiunia ista seruare non teneamini, pro remissione peccatorũ nostrorum, uel pro periculo hostiũ, ieiunare non desistatis: carnem domantes quãtum portare potestis, quæ uerba maximè ab his obseruãda sunt, qui à ieiunio excusantur, ut saltem quantũ possunt, tantũ agant. PRO. Quid si ieiunare spõte die Dominico uelit? CAM. Idipsum Augustinus & Hieronymus sentiunt,* nẽpe ut is qui in die Dominico refici renuat, uel à Paschate usque ad Pentecosten ieiunare uelit, haudquaquã peccet, modò dies illos non aspernetur, & per offensionem mãducet, uel nõ manducet,

*Aug. epist. 86.

*Epist. 86.

¶An die dominico ieiunare liceat.

Hiero. in. epist. ad Lucidiũ. Augu. epist. 86.

*Hom.14. I. Cor.10.

ducet,ſed Domino nõ mãducet.*PRO.Quid ſi lõgo in uoto dies Dominicus adueniat? CAM. Neq; Moyſen,neque Eliam, neq; Chriſtum aliquid in die iſto comediſſe Auguſtinus in citato loco reſpondet:quod plus eſt, quàm refectione carere. Vnũ uitét,quippe ut nolint Manichæorum ueſtigia ac mores ſequi,diem Dominicum cõtemnẽdo, & ſalua res ſecũdũ Auguſtinũ erit. ſic enim et in die Natiuitatis Domini, ſi ſexta feria ueniat,carnem comedimus,ſed non peccant qui ob deuotionem abſtinere uolunt*. PRO. Quod myſterium ſub quadraginta dierum numero latet, ut nec triginta, nec quinquaginta, ſed quadraginta fuerint?CAM. Nónne pulchrũ hoc eſt,ut ieiunium negando,cauſam temporis ipſius ieiunij tibi explicari uelis?lõgas Auguſtini doctrinas lege, ubi numeri quadragenarij perfectionẽ oſtendit: * cui Chryſoſtomũ addere poteris, quærẽtem quare Chriſtus Dominus noſter,numerum ſeruorum,hoc eſt,Eliæ & Moyſis ſeruare elegit?*hoc in ſumma ex hominũ piorũ conſenſu colligens, idcirco Moyſen ieiunaſſe, pariter & Eliam,ut Dei faciem uidere mererentur,teſtéſque unà cum Petro, Ioanne & Iacobo eſſe potuiſſent, quando trãſfiguratus eſt in mõte.*quos ſecũ etiã habiturus eſt,quãdo iudicabit ſeculũ per ignem. Nolite ſcripturæ teſtimonia deglutire,obſecro:ruminate illa, animaduertẽtes quomodo Moyſes,quia quadraginta diebus

¶ In die Natiuitatis Domini.

*Ex. de obſer.ieiu. c.fi.

¶ Cur quadraginta diebus,& non minori uel maiori numero, Elias,Moyſes & Chriſtus ieiunarunt.

*Aug.epiſt. 119.col. 11. de doctrina Chriſt. lib.2. c.16.

* Chryſo.in Gene.ho.1.

*Doct.Chriſta.lib.2. c.16.

G

ieiunauit, Deũ uidere promeruit: populus uerò qui comedit, idola fabricauit.* Et cũ Lutherani ieiuniũ dãnãt, hoc pro certo habete, idcirco hoc illos agere, quia ſub Satanę imperio uiuunt, qui de eis ſecundũ propriam uoluntatem diſponit,* animaduertẽtes denique uos Catholici unicum eſſe Quadrageſimæ ieiunium, ſic indiuiduum, ut diei unius ieiunio neglecto, minimè ieiuniũ quadragenarium ieiunaſſe intelligatur, qui hoc modo ieiunauit,* tametſi pœnitendo in reliquis gratia comite meritoriè ieiunet.

*Aug. in ſer. de temp. in ſer. 64. ſer. 2.

2. Tim. 2.

*Ambr. ſer. 36.

CAPVT QVARTVM.

Fide nos ieiunare debere Proteſtantes contendunt, ut uentri indulgentes, populi auram captare hac ratione poßint.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

NOnne nouerca potius Romanenſium mater Eccleſia uobis fuit, quàm mater uera, quando poſt horam nonam comedendum eſſe iuſſit, cibaria deteriora eligens, quibus uentrem quaſi farragine quadã opplere debeatis? CAM. Optima mater illa eſt, quæ animaduertens filiũ aut ſuperfluo cibo eſſe infirmum, aut ægrotare poſſe, diæta illum curat. PROTES. Eſto. ſed tunc rogabo, an prudentior mater altera ſit, quæ aromatibus. optimóque uino modicè ſumpto, filij ſtomachum confortat: altera matre, quę ſola

ſola inedia filiũ curat? CAM. Quid metaphora hac exprimere uelis, nõ intelligo. PRO. Noſtram eccleſiam ueram matrem ſequendam eſſe contendo, quæ fidei aromate filios ſuos curat: fide inquam illa, quæ contritionem comitem habet, qua nos omnes ieiunare docet: ſiquidẽ hac cõtritione & dolore, tã præterita mundamus, q̃ futura præcauemus peccata, Chriſti gloriã præponentes, qui pro nobis omnibus eſuriendo ſemel ieiunauit. CAM. Cùm non abſque fide Iſraëlitarum Eccleſia in futurum Meſſiam repoſita ieiunaſſet, & tamen nõ ante nonam comedebat, ſatis nobis oſtendit, fidem, contritionem, ac pœnam quam patimur uſque ad nonam cibum differendo, ſimul habitare poſſe. Aſt, de qua fide tu admodũ garris, nũ de credulitate tua? PRO. Quid ni? CAM. Non quidẽ fide ieiunat is, qui Romanam Eccleſiam ieiunando non ſequitur. PRO. Quo authore hoc deliriũ proponis? CA. Auguſtino cum ait: Et de die quidem ſabbati facilior cauſa eſt, quia etiam Romana ieiunat eccleſia.* PRO. Non tamen dicit non poſſe nos noſtra fide ieiunare, etiã quãdo Eccleſia Romana nõ ieiunat. CAM. Audi quæſo, quid de ueſtris ieiuniis alibi idẽ Auguſtinus ſentiat: Ieiunant hæretici (inquit) uideo quales eant, interrogo quò eãt, ieiunatis, ut cui placeatis? Deo, inquiũt. Munus putatis accipit: ſed prius uide quid dicit, Relinque munus, & uade prius recõciliare fratri tuo:*

¶ Fide Proteſtantes ieiunare uolunt, ut hac eorũ credulitate, ſimul & luxuriari queant.

Epiſtol. 86. col. 11.

De utili. ieiunij col. 4.

nunquid membra tua rectè domas, qui Christi membra dilanias? ubi minimè de fratre hæretico, sed de fratre mẽbro ecclesiæ catholicæ, intellexit: à qua uos dissidium fecistis, proprias synagogas Satanæ amplectẽtes. Quid igitur est fide ieiunare? num quòd uinũ & carnes, quas deuoratis, eò uos ducant, ut nil aliud quàm luxuriari ualeatis? PRO. Fide ieiunando parcè ego comedam, bibam, dormiam: sed tunc quãdo id mihi expedire cerno, nõ autem tempus certum, quasi tunc ieiunio opus habeamus, alter mihi præscribet. CA. Imprudentissimus ergo Deus, qui certa tẽpora delegit? imprudentiores Apostoli, imprudentissima ecclesia, aut naturæ maximè expers? Sane nõ: quãdoquidẽ ipsa nouit, ueris tẽpore, quando sanguis ebullire incipit, quadragesimale ieiunium aptius esse, ut carnis morsus frenare queamus: tempúsq; tale elegit, quod magis suis filiis utile foret: ipsa quoque rectè expendit, quãtum iuuet ieiunium festi diem præcedere, ut festũ sanctificare queamus, & dies ad hoc necessarios ordinauit: ipsa denique est, quæ præcepit ut fide, cordéq; contrito, ac spiritu contribulato, & cum pœna carentiæ cibi, nõ autem absq; ea, ieiunemus, Christum imitantes, qui etsi absq; cibo uitã ducere potuisset: ut homo, post ieiunium esuriuit: docens nos propter ipsum esurire debere, ut modicum passi, in infinitis meritis suis ieiunia nostra, peccatorũ ueniam merean-

¶ Contẽdũt Protestantes hora eis beneplacita in die ieiunÿ comedere posse.

¶ Quare ieiuniũ eo tẽpore quo quadragenariũ ieiunium seruamus, statutũ fuerit.

reantur: non autem ut Epicureos imitemur, qui dapibus repleti, uirtutem inquirebant. PRO. Sinatis saltem sponte nos ieiunare. CAM. Iam incipis Apostolos condemnare, & Aetio hærere, qui ieiunium commendabat, modò in sua potestate tempus relinqueretur, quando ieiunandum esset. Hiero. lege,* qui multis rerum argumentis hanc hæresim damnauit. At numera obsecro albis lapillis, quotiens in anno uos Protestãtes pœnis Ecclesiæ non subiecti spõte ieiunetis? & ex hoc iudica quàm optimè Apostoli & ecclesia ieiunij tempora & comedendi horam determinarint. Poterat equidem homo ipsi Deo dicere, Ne legis iugum supra ceruicem mihi imponas, sponte illam seruabo. Itidem & Christo, quòd legem omnino solueret, ut omnia consilij essent: & tamen eam ob causam factum non est, quia magis cõducit ut homo sub lege uiuat. Ad hæc sanè Melanchthon animaduertere poterat, quãdo aduersum catholicam ecclesiam Romanam latrare cœpit, & digitum suo ori imponere potius quàm male loqui.

¶ Protestantes eã ob causam spontaneũ ieiuniũ eligũt, ut nũquã deinde ieiunent.

¶ Aetij hæresis.

**Episto. 5. & 6. contra Iouinianum.*

¶ Satius est cũ lege, quã sine ea uiuere.

CAPVT QVINTVM.

Accusant catholicam Ecclesiam *Protestantes, quòd ieiunium necessarium iis quoque esse decreuerit, qui ieiunare non possunt: ignorantes adhuc nemini horum, ieiunij onus impositum esse.*

¶ *Quibus ieiunare Ecclesia præcipit.*

AIs tu mediocritatem uirtutis in medio consistere? CAM. Nemo est qui adagiũ illud ignoret, Ne quid nimis. PRO. Ais quoq; æqualia inæqualibus inæqualia esse: neque æqualitate in ferendis sententiis, posse inueniri inæqualius? CAM. Aio. PRO. Quæ ergo matris huius uestræ ecclesiæ prudentia fuit, ut æquali lege unicuiq; ieiuniũ præcipiat, tametsi inæquales inter se filij eius sint? CAM. Respõde tu prius, an duo tanquã diuersa in ipso ieiunio cõsideranda sint? alterum nimirum, quatenus pœna, ipsa abstinentia est: alterum uerò, quatenus eadem pœna, medium quoddã in finem exclusionis peccati est. PRO. Posse considerari ut duo, ingenuè fateor: sed quòd peccata excludãt, nego. CAM. Hoc quod confiteris, nunc inquiro. PRO. Perge. CAM. Cum isthæc duo sint, scito nunquam pœnalitatem Ecclesiam simpliciter eligere, quasi hominum maceratione gaudeat, nisi quatenus pœna hæc, medium in finem est, ut homo ex ipso ieiunio, uel præterita mundando, uel futura præcauẽdo, locupletetur: quo fit ut nemo, cui finem hunc præstare ieiunium non possit, lege ieiunij ad ieiunandum astringatur. hæc si rectè expẽderis, euestigiò confiteberis, impotẽtes Ecclesiæ præceptum non comprehendere, tametsi impotentiæ iudicium sibi Ecclesia reseruet. PRO. Nusquam hoc scriptum legi. CAM. Hæc Apostolo-

ſtolorũ canonis ieiunia præcipientis uerba ſunt, quæ poſt pręceptum ieiunij eueſtigiò ſcripſerũt. [pręterquam ſi imbecillitate impediatur corporis.] PR. Nil tale Eccleſia catholica ab initio dixit, quando canones adhuc recepti non erant, & tamen ieiunij præceptum prædicabat. CAM. Ab initio dictum. PRO. Generalem Eccleſię legem intueor, exceptionem uerò hanc minimè cerno. CAM. Quanquam legis ieiunij uerba ab Eccleſia prolata, communia ac generalia ſint: & id quod generaliter dicitur, ſingulos, ut ſingulos comprehendere uideatur, non tamen perpetuò omnes qui uerbis comprehendi uidentur, ad legis obſeruantiam obligantur. PRO. Quapropter? CAMER. Mente legis repugnãte, quæ non uult illos obligari. PRO. Aliquod præbe exemplum. CAM. Generaliter ſcriptura dicit: Semetipſum ſeducit, qui putat peccatũ non habere.* & tamen minimè illum comprehendere poteſt, qui è lauacro regenerationis exit. In cõmuni quoq; dicitur, In multis offendimus omnes.*Caro cõcupiſcit aduerſum ſpiritum:* quæ tamen uerba infantes renatos haudquaquam cõprehendere poſſunt. quem in modum legem ipſam circa hæc ex mente condẽtis limitari poſſe apertiſſimè patet. pendis iſta? PRO. Teneo, ſed mentem contradicentem adhuc nõ uideo. CA. His igitur hunc in modum expenſis, ad rem redeamus, intelligẽtes, hoc ieiunij legem pro ob-

¶Canõ Apoſtolorum.

*1. Ioan. 1.

*Iaco. 3.
*Gala. 5.

iecto habuisse quãdo ieiunium præcepit, nempe ut in communi ipsa ecclesia duplici remedio paulò antè enarratis egeret: Primò nimirum, ut hoc modo peccata incursa mundaret. Secundò item, ut futura præcaueret: necessitatem operis istius, naturæque robur ac uires, in cõmuni cõsiderãdo: non autem in particulari, tametsi particulares hi sint, qui hoc ecclesiæ ieiunio ad propriã cõmoditatem utuntur: tenes & ista? PRO. Intellexi. CAM. Intantùm ergo in particulari lex ipsa ieiunij locum habebit, inquãtum robusta particularis natura huius uel illius hominis, hoc remedio eget: quoniam non aliter lex in particulari aliquid iubet, quàm in cõmuni iusserit: in quo communi, robustam naturam, & ieiunij necessitatem intuita fuit. quibus cessantibus lex ipsa perdit officium suum, mẽte urgente, ut absque potentia ieiunandi nemo ieiunet. PRO. Solus loqueris. CA. Nónne Innocentius Tertius, maxima sanctitate pollẽs, Christi præceptũ, Apostolorũ, atq; Ecclesiæ, ieiunij quadragenarij, ex mente interpretatus fuit, ut illi qui propter maximam famem in quadragesima carnes comederant, non peccassent?* Nónne idem Papa cõsuetudinem ieiunãdi in sabbato in eo dem capite seruari mãdat, sic tamen quod debilibus & infirmis propter hoc periculũ nõ emergat? Nónne deniq; dixit, ut ægrotis indulgeatur, quia necessitas legi nõ subest? PR. Qui illi sunt, quos

Ex de obserua. ieiunij c. Consilium.

quos lex ex mente excuſat. C A M. Paulò pòſt de re hac fuſiſſimè ratiocinabimur.

CAPITIS QVINTI § PRIMVS.

Si Ieſus dixit, Omne ieiuniū ceſſare donec ipſe præſens eſſet: deinde uerò ſubiūxit, Se nobiſcum fore uſque ad conſummationem ſæculi, cur igitur ieiunamus?

PROTESTANS. CAMERARIVS.

HOc unum ſolue argumentum, & circa præceptū ieiunij amplius nō loquar. Aut Chriſtus in Eccleſia cū iuſtis eſt, aut nōn. C A M. Ipſe dixit: Ero uobiſcum uſq; ad conſummationem

Matth. 28. ſęculi. P R O. Manet ergo. C A M. Manet. P R O. Verbis Domini reſponde nunc ſi potes, cum ait: Nunquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare? C A M. Chryſoſtomus tibi principiò reſpondet: tēpore illo ſic Dominū eſſe locutum, quando adhuc Apoſtoli, filij imbecilles erant: ueſtimento ueteri cōparati, quaſi uetuſtatem illam antiquā aliquo modo redolerent. quocirca dū in præſentia corporali Chriſti erāt, magis fouendi in quadam dulcedine, quàm in auſteritate ieiunij exerceri debebant: iuxta illud,

¶ An propter præſentiam Chriſti qui uſque ad conſummationem ſeculi cum Eccleſia erit, ieiunare non obligemur.

Pſal 130. Sicut ablactatus ſuper matre ſua. P R O. Sciuiſſet hoc Ieſus dicere, ſed aliam rationem reddit, nempe, quia cum ſponſo ſunt: ſubiūgens, Veniet autem dies, & cum ablatus fuerit ab illis ſponſus,

Luc. 5. tunc ieiunabunt in illis diebus. C A M. Vbi hæc prima non placeat, accipe ſolutionē Hieronymi

ſecundam: Dominum loqui ibi de ieiunio ueterum obſeruantiarum, ad quas Apoſtoli ſub lege libertatis uiuentes cogi minimè poterant. PRO. Hanc tu opinionem ſuprà confirmaſti, minutatim caput Lucæ quintum elucidando: ſed cũ ibi ſtatuiſſes Chriſtum adhuc ieiunium præcepiſſe nouum, inhibuiſſeq; ut uinum nouum in utres ueteres mitteretur, argumẽtum hoc ſilentio præteriiſti: reſponde igitur pro Hieronymo, an legales obſeruantias poſt ſponſi diſceſſum filij ſeruare tenebantur: reſponde & pro te, quando tempus ieiunandi ſub præcepto erit, ſi ſponſus cum ſpõſa uſque in finem permanebit. CAM. Pro Hieronymo ſatis reſponſum eſt, mandatum Chriſti eo modo eſſe nouum, quo ibi declaraui. pro me Auguſtinum audi dicentem, duplex ieiunium eſſe, quorum unum pertinet ad humilitatem tribulationis, & hoc modo neque nunc competit uiris perfectis, cum quibus habitat ſpõſus. Sicut Matthæus declarat, qui pro uoce ieiunij, uerbum lugere ſubrogat: inquiens, Non poſſunt filij ſponſi lugere. Aliud autem, quod pertinet ad gaudium mentis in ſpiritualia ſuſpenſæ, & tale ieiunium conuenit nunc perfectis, & quod cum illis habitet ſponſus. PROTESTANS. minimè Ieſum inter ieiunium lętitiæ & luctus diſtinguit: quandoquidẽ in omni ieiunio pœnalitas adeſt: ſed inter ſolam præſentiam & abſentiam, in ipſo luctus ieiunio diſtinguit: reſponde ſi potes.

CAM.

CAM. Sancti hi uiri sunt, æquè & doctissimi, ante quos ambulare, nil aliud agere esset, quàm currum ante boues ponere: ast uocem illam luctus obserua, propter illa quæ paulò pòst enarraturus sum. PRO. Quid tu sentias scire opto. CAM. Ne asymbolus accessisse ad hoc conuiuium uidear, rogabo te prius: an tẽpus nuptiarũ, ab altero tempore quod nuptias sequitur, distinctionem recipiat? ut nuptiarum tẽpore, optima obsonia præparentur, uestes pretiosæ adsint, choreæ, & abundantia uini: non item postea reliquo matrimonij tempore. PRO. Experientia isthæc commonstrat. CAM. Cùm hoc fatearis, tria diuersa à tribus Euangelistis dicta nunc unire necessum est, ut illis simul colligatis ueram argumenti tui solutionem audias. Lucas nanque * de sola præsentia sponsi locutus est: Matthęus uerò * luctus quoque meminit, & Marcus tertiam qualitatem temporis nuptiarum addidit * inquiens, [nunquid possunt filij nuptiarum, quãdiu sponsus est cum illis, ieiunare?] nuptiarum temporis & præsentiæ spõsi, simul memor. Vbi belle iuxta Marci & Lucæ sententiam uidemus, tempus nuptiarum simul cũ sponsi præsentia causare, ut filij nuptiarũ non ieiunent, quia in gaudio nuptiarũ erant, nõ autem luctus sicut Matthæus obseruat: quod tempus tamdiu durauit, quandiu Christus uisibilis mansit in terra, non autem sicut in sacramento nunc est à speciebus panis & uini uela-

*Luc. 5.
*Matth. 9.
*Marc. 2.

¶ Quomodo inter Christũ & Ecclesiã, tum sponsalia, tum matrimonium sint cõtracta.

tus, uel quemadmodum uerbum perpetuò concomitatur. Cœperunt nanque nuptiæ, quando in utero uirginali coniuncti sunt duo, sponsus & sponsa: Sponsus uerbum, & sponsa caro: quia sic scriptum erat, Et erunt duo in carne una.* Ita ut Christus spõsus & spõsa unũ essent, tametsi duo, ut illi᾿ carni adiũgatur ecclesia, & Christus caput & corpus sit factũ*, quemadmodũ scriptum erat. Egrediatur sponsus de cubiculo suo, & spõsa de thalamo suo.* Sic enim factũ est, quando & ipse tãquam spõsus procedens de thalamo suo, exultauit ut gigas ad currẽdũ uiã, à summo cælo egressio eius, & occursus eius usq; ad summum eius.* Tunc enim sponsalia cõtracta fuerũt, cõiugium uerò alio tempore consummatũ, quando aperto latere Iesu, formata est coniunx de latere eius: ut Ecclesia quæ sponsa erat coniunx dici possit: * & sicut Adamo dormiente de latere Eua ei cõiunx facta est: itidem Ecclesia Christo in cruce dormienti, de latere lancea perforato uxor fieret, ut qui sponsus & spõsa erant, uir & uxor dicerẽtur.* securi ambo, quod is qui pro sponsa moriebatur, resurgens eã erat ducturus:* mysteria hæc signate: O uos Protestãtes qui scripturam funditus pẽdere gloriari soletis? & arcam Noe in latere perforatam uidete, quæ figura fuit loci Ecclesiæ in ligno crucis*, quæ per hoc patẽs atque apertum lateris Christi uulnus intrare debebat, unde sacramenta Ecclesiæ manarunt?* Et cùm hæc omnia expen-

¶ Quare post Christi ascẽsum & non ante, discipulis ieiunandi præceptum impositum fuit.

*Gene. 2.
*Aug. in expo. epist. Io. I tra. I. col. 2. & in serm. de tem. 41. domi. I. post octa. Epiph. ser. 2. col. I.
*Ioel. 2.
*Psal. 18.
August. *Psal. 122. col. 2.
*Vt sup. & de Gen. con. Manich. c. 24. in Psal. 126. col. 4.
*Vt sup.
*Aug. de ciui. Dei li. II. c 26.
Vt sup.

expenderitis, hoc tempus ieiunij filiorũ nuptiarũ harum esse concludite, quando scilicet Christi dona illis fuissent communicata, atque Spiritus sanctus ad eos missus esset, à uiro qui post quinquaginta dies ad patrem ascendit, ut tunc quantumlibet lugerent, spe tamẽ his donis referti perpetuò gauderent. Ostendunt hæc uerba Domini
*Ioan. 8. quando dixit, Multa habeo uobis dicere, quæ nõ potestis portare modò: *Quid illud portare modò? nempe ut non solùm multa intelligerent à spiritu sancto, uerùm etiam opere illa ferre donis spiritus sancti discerent, quæ ante eius aduentum
*Ioan. 14. ferre non poterant: ille enim spiritus uos docebit omnia (Iesus inquit,) * Ecclesiæ suæ sponsæ dilectę loquens, in qua spiritus Dei manet. Cui haudquaquam id denegauit, quod Synagogæ ueteri
*Matth. 23. dederat, quando dixit: Facite omnia quæ dicunt hi, qui super cathedrã Moysis sedent: * quo deinde tanquam mater ieiunium pro medicina filiis infirmis exhiberet. Hæc si rectè expenderitis, & simul tres quoq; hos eximios patres, Augu. nimirũ Chryso. & Hiero. coniũxeritis, id illos concinisse euestigiò dicetis, quæ tres Euangelistæ commõstrarunt: & argumentum à te allatum in fumum simul resoluetur, eo quòd neque tunc robur ieiunandi Ecclesia habebat, (sicut Chrysostomus ait) neque à legalibus (secundũ Hieronymũ) astringi poterant, ut quasi sub seruitute ieiunarẽt, neq; tempus luctus (secundũ Augustinũ) erat à Chri-

ſto pręſignificatũ, neque ieiunium præceptũ, ut tunc exequeretur, à Chriſto erat, ut nouum muſtum in nouos utres poſſet mitti, tametſi uetera omnia tranſiiſſent, & in Chriſto noua facta eſſent: * quocirca interea temporis, nuptiarum atque corporalis præſentiæ ſuæ minimè uoluit ut ipſi quoquomodo ad ieiunium inuitarentur. Salubre hoc remedium nobis poſt eius abſentiã relinquens, ut ſic lugendo omnem mundi triſtitiam & peccata expelleremus: itaque uitam poſt nuptiarum dies ducentes, per multas tribulationes, donis ſacramentíſque referti (modicum ſi oportet cõtriſtari) in uirtute paſſionis ſuæ, regnũ cælorum intraremus, * à quibus neque iuſtos excludi uoluit: ut uel pœnam præteritorum peccatorum ſoluerent, uel futuram perſeuerãtiam impetrarent, eo modo in ſtatu iuſtitiæ ieiunantes, ſicut iuſtus ex charitatis præſcripto, legẽ hilariter implet: exemplum cæteris exhibentes, ut eodem modo ambulare uelint: orantes inſuper pro nolẽtibus, ut lumine Dei oblato, meritoriè uelint. Hæc expẽde, ut uideas quàm incongruũ ſit, uelle à tempore nuptiarum ante quàm Chriſti latus aperiretur, unde dona promanarũt, quibus ieiunij triſtitiam ſuſtinere quimus, & à uiſibili præſentia quæ lætitiæ plena erat, ad tẽpus inuiſibilis præſentiæ, luctus & afflictionis arguere.

*Aug. epiſt. 86. col. 10.

*Acto. 14. & 1. Pet. 1. a. b.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Quoniam Melanchthon hanc prouinciam præ cæteris ſibi uendicauit, ut delectum ciborum, quem in ieiuniis ſeruamus, excludat: in hoc capite cum hoc Pro*teſtante, qui* Melanchthonis *partes ſuſtinet, ſigillatim omnes* Melanchthonis *Chimæras excludimus.*

PROTESTANS. CAMERARIVS.

DEmus ieiunandum eſſe: quid tu circa delectum ciborum Paulo reſpondebis cum ait: Nemo ergo uos iudicet in cibo aut in potu,* id eſt, nemo obliget ac damnet conſcientiam propter hos ritus? CAM. Amphibologicè loquitur Melanchthō: ſiquidem uerba illa, hos ritus, tam ad ritus Hebræorum quos Paulus damnat, quàm ad ritus Eccleſiæ Chriſti, de quibus Paulus non loquitur, aptari poſſunt. Cùm enim Paulus c. 1. & principio ſecundi, ritus Hebręorum iudaizando ſeruari inhibuiſſet: ex illis cōſequēter, quod ante poſuiſti, ſubiunxit: inquiens, Nemo igitur &c. quaſi ex antedictis hoc cōſequens reſultet: admonens illos, ne in cibo & potu, id eſt in uſu uictus iudicarentur, cum Iudæis ſcilicet diſcernendo: quorum cæremonię, tāquam illę quæ umbra futurorum erant, Chriſti morte, per quem omnia conſummata fuerunt, omnino deletæ ſunt: ut omnia munda mūdis eſſēt.* Sic enim & Apoſtoli in canone 50, & 52. illos damnant, qui à carnibus aut uino die Dominico propter abominationē

*Colo. 2.

*Tit. 1. d.

¶*Primum Melanchthonis argumentū: Nemo ergo uos iudicet in cibo aut in potu.*

abstinebāt. Hic germanus Pauli sensus: quem sequentia quoque uerba textus illius illustrāt, quæ dolo Melanchthon, addens unū &c. silentio præteriuit: mox nanque postquā dixerat, Nemo uos iudicet in cibo aut in potu, quasi euestigiò subiungit, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autē Christi. Hæc certè doli causa fuit quare Melanchthon illa tacuit, ne lector protinus conciperet, de Iudæorum cæremoniis quæ penitus obliteratæ erant, ibi Paulum egisse. Pauli sequentia uerba omnia lege, quæ post ista in eodem capite sequūtur, & res salua erit. PRO. Nónne iudaizare hoc est, diem à die, cibum item à cibo discernere? CAM. Iudaizare, ubi commissura à uestimento nouo in uestimentum uetus immitteretur, aut in ueteres utres uinum nouum: uerbi gratia, ubi aliquis tanquā Mosaicæ legis cęremoniis illis in ieiunio à Christo, Apostolis, atq; Ecclesia nobis præcepto uteretur: at pone idcirco isthuc facere, quia Ecclesia Christiana pro animæ salute in meritis Christi hanc ciborum delectionem præcepit: & hoc minimè iudaizare esset, immò potius uinum nouum in utres nouos ponere. *Christi merita urgent, Christi passio conside- *Luc. 5. randa, qui omnia uetera sic consummauit, quādo dixit, Consummatum est, ut cæremoniæ omnes, aut omnino exclusæ fuerint, aut illorum loco, salubriores subrogatæ: *quo factum est, ut mi- *Diximus sup. c. 3.

¶ Quando discernendo cibum à cibo, uel diem à die iudaizemus.

nimè

nime iudaizemus. Hoc inhibuit Paulus: hoc perpetuò repetitum uolo, ut lege Christi resistente, qui inter nouos & ueteres utres, uestimentũ nouum & inueteratum distinguẽs, palam interdixit, ne cum donis spiritus sui antiquæ cæremoniæ commisceãtur: ieiunium nobis præceptum post Christi ascensum seruemus.

CAPITIS SEXTI § PRIMVS.

Melanchthonis argumentum secundum soluitur.

PROTESTANS CAMERARIVS.

DVæ tabulæ præceptorum decalogi sunt: harúmq; primæ finis immediatus est, ut Deus honore afficiatur, innotescat, & celebretur. Secũdæ uerò, nostri corporis & proximi defensio. At hypocritæ fingunt, immediatum finem esse, cur die sexto non edant carnes, quia Deus iudicet se honore affici per hunc ritum. Vbi cultus Dei? quod opus mandatum à Deo est, seu certo Dei testimonio institutum?* CAM. Melãchthonis uerba hæc sunt, absq; ullo scripturæ testimonio loquentis. Atqui respondeat mihi, an sancti patres Deo obedientiam præstiterint, quando usq; ad diluuium carnes non comederunt: inde uerò neq; carnem cum sanguine, non omnia animalia, non omnes pisces?* PRO. Dei mandatum Melanchthon excipit. Ecclesiæ uerò & Papæ traditiones excludit. CAM. Quisquis Papæ atq; Ecclesiæ traditiones excludit, mẽdacem Christum facit dicentem: Qui uos audit, me audit: ligandi

* Verba Melanch. de cærem. Eccle. Reg. 2. err. 2.

* Suprà.

potentiam talem Ecclesiæ tradens, quæ in cœlo quoque suam efficaciam habitura foret. Ostendat mandatum quæso Melanchthon, quãdo Ioanni Baptistę iniunctum fuerit, ut nec uinũ, nec siceram biberet, nec panem aut carnes tota uita comedere eligere debuerit: aut ubi mandatum ostendi non possit, respondeat interrogatus, an Ioannis Baptistæ ieiunium Deo acceptum non fuerit? nónne suprà doctum est, omnia ieiunia, siue ab hominibus originem sumpserint, siue ab Ecclesia instituta fuerint, omni tempore Domino accepta fuisse? satis certè hæc suprà elucidata fuere: non oportet ad uomitum redire. PRO. Voluntarium tunc ieiunium est. CAM. Voluntarium, sed cultus interim acceptus Deo, etsi à Deo pręceptum non sit pro tali die. PRO. Cum peccatorum mundatione? CAM. Quare non? si ieiunij dies, expiationis dies est? * *Leuit. 23. d

CAPITIS SEXTI § SECVNDVS.

Melanchthonis argumentum tertium excluditur.

PROTESTANS CAMERARIVS.

CVm Paulus ait: In libertate qua Christus nos liberauit, state, ne rursum iugo seruitutis implicemini, *iubet sententiam de libertate retinere, ne conscientiæ stulta carnificina excrucietur, aut excitet discordias, si quis nostros ritus humanos non obseruet. CAM. Quotiens uis audire? nemo ritus Mosaicos ueteres ĩ nouis utribus ponere *Gala. 5.

nere

Luc. 5. nere poteſt, aut nouos in ueteri. Nemo pręterea citra Papam & Eccleſiam Dei, ritus pro lege ſtatuere ualet. hoc Paulus inhibet, idipſum & nos fatemur.

CAPITIS SEXTI § TERTIVS.

Melanchthonis falſitas, in tranſcribenda dicta patrum, hoc loco detegitur.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

PRodeſt recitare hiſtoriã, quæ extat in quinto libro Euſebij. Nobiliſſimi coniuges Attalus & Blandina Lugduni in carcere erãt propter Euãgelij profeſſionem cõprehenſi: ac ſæpe producebantur in loca ſuppliciorum, ut flecterẽtur ad abiiciẽdam Chriſti inuocationem. Erat autẽ unà, alius quiſpiam Chriſtianus in carcere, qui ſingularibus exercitiis ſe macerabat, nõ uino, nõ carne utebatur. Hic Attalo diuina reuelatione mandatum eſt, ut diceret illi, ut cõmunibus cibis uteretur, nec ſingulare exemplũ cæteris proponeret, & ratio addita eſt, quo rudiores exiſtimarent, hæc diſcrimina ciborũ eſſe præſtantiorem cultum Dei. C A M. Nónne paulò antè eadẽ hiſtoria recenſet, Attalũ illos, qui muta animalia non comedebãt, reprehendiſſe: nónne eadem eſt ſermonis ſubſtantia? P R O. Fateor, ſed uerba illa, nil commune cũ Dei reuelatione poſtea facta habent: tũc enim ſuo ſenſu loquebatur ut homo, poſtea uerò Spiritu Dei reuelante. C A M.

¶ Attali falſata hiſtoria, de Albiadis peccato.

Animaduertant lectores, quæso, quanta cæcitate Melanchthon ducatur, ut minime erubescat falsò Eusebium transcribere, cuius uerba hæc sunt: Alcibiades quidam erat in numero eorũ, qui pro Christo uincti tenebãtur. Hic uitam satis arduã & austeram gerebat, nihil cibi uolens accipere, sed tantùm sale & pane cũ aqua utebatur. cúmque hunc uitæ rigorem, uellet etiam in carcere positus obseruare. Attalo post primam cõfessionem suã, quã in amphitheatro cõfessus est, reuelatur, quia non rectè faceret Alcibiades creaturis Dei & ipsum nõ uti, & aliis formam scandali relinquere.* Audi nolle Alcibiadem creaturis Dei uti, quod hæresim tunc uigẽtem redolebat: audi scandalum relinquere, ut hac superstitione fratribus scandalo esset: & his expẽsis uide quàm falsa sit Melãchthonis relatio, ut simpliciter propter uitandum delectum ciborum id euenerit. reiicienda quidem sunt cætera uerba, quæ ex sua officina Melãchthon addidit. PRO. Sit ita, quid tu Attalo respondes? CAM. Scire enim debes à Pauli temporibus hæresim in Ecclesia exortam esse, ut quidam putarent nullo modo muta animalia mandúcãda esse, quo sic existente respondebo audacter, ut minimè Alcibiades eã ob causam cõdemnetur, quia eodem modo in carceribus carnibus uesci nollet, sicut nec prius uescebatur. Siquidẽ & Ioãnes Baptista minime in carcere carnes comedit, aut uinũ uel siceram bibit: &

¶ Attali & Alcibiadis historia uera.

¶ Quid Alcibiades fecit.

¶ Carnium abstinentia per se bona est.

* *Euseb. lib. 5. c. 3.*

& tamen neque ipſe peccauit, neque aliis ſcãdalũ prębuit. ſed propterea Alcibiades corripitur, quia nolebat creaturas Dei, quaſi malæ eſſent, cũ gratiarum actione percipere: ob quod ſcandalo cæteris eſſe poterat: non quia carnibus nõ uteretur, immò potius quòd ideo non uteretur, quia creatura illa Dei, bona nequaquam eſſet. Dixerat nanque Paulus: Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciẽdum quod cum gratiarum actione percipitur, eo quòd Deus illos cibos creauit, ut à fidelibus cum gratiarum actione perciperẽtur.* omnia ergo quæ facitis, ad ædificationem facite: mũda quidẽ ſunt omnia, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum mãducat*, ita ut minimè carnes, ſed modus comedẽdi carnes in cauſa ſit, ut homo hoc modo mãducans uel nõ mãducãs, corripiatur aut non: quemadmodum ſubiũgit: Bonũ eſt nõ manducare carnes, nec bibere uinũ, neq; in quo frater tuus offenditur.* Et alibi: Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* ad quæ Beda animaduertens ſic ait: Nõ intereſt omnino, quid alimentorũ ſumas, ut ſuccurras neceſſitati corporis, dummodo congruas in generibus alimẽtorum his, cum quibus uiuendũ eſt. PRO. Nullum ſcripturæ teſtimonium Beda citat. CAM. Num optimus teſtis Paulus nõ eſt? cum inquit: Nemo uos ſeducat fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totũ corpus in

Margin: ¶ Nolle uti creaturis Dei, hoc malum.

Margin: *1. Tim. 4.

Margin: *Rom. 14.

Margin: *Ibidem.

Margin: *1. Cor. 8.

Margin: ¶ Alimenta in genere cõgruere & illis debent, cum quibus uiuendũ eſt.

augmētum Dei?*hoc eſt ea comedere, quæ corpus myſticum Eccleſiæ Dei comedenda eſſe cēſet. Hæc ueritas ipſa quæ à Melanchthonis latratu falſo peruerti non poteſt.

CAPITIS SEXTI § QVARTVS.

Nullam controuerſiam inter Paulum & Petrum in Antiochia habitam eſſe, principio iſtius § docetur, ſolámque Dei & proximi charitatē perpetuò rationem fuiſſe, ut pro diuerſo tempore & cauſa, diuerſo quoque modo idolothytorum eſus aut prohiberetur, aut permitteretur.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

EA certè ratione, qua Paulus Petro in faciem reſtitit, quando legalia ſeruabat,*integra Ec- *Gala.2. cleſia Papæ reſiſtere poterit, ne has cæremonias delectionis ciborum renouare audeat. CAM. Tu quoque ex illis es, qui putant Paulum & Petrum quaſi gladio de legalibus uitandis concertaſſe? PRO. Omnino. CAM. Longè à ueritate aberras: quandoquidem Cephas, de quo mētionem ibi Paulus facit, minimè Petrus eſt, ſed alter ex lxx. diſcipulis Domini, qui Petri cognomine, Cephas uocabatur. PRO. Quo authore loqueris? CAM. Clementem pro me lib. quarto diſpoſitionum habeo. PRO. Claudius c. ſecundo ad Gala. opinionis iſtius mētionem facit. Hieronymum tamen ſecutus eſt, cui placuit, pro authoritate

¶ *Negamus Cephā, cui Paulus 2. ad Gal. in faciē reſtitit, fuiſſe Petrū.*

tate propria conſeruanda, Paulum uerba illa dixiſſe:nõ autem quòd Petrum iniuria afficere uellet:quem paulò antè eodem in loco magnifecerat. C A M. Minimè tamen Clemẽtem citat,ne-
Lib.1.c.14. que illi & Euſebio qui Clementem ſequitur reſpondet. P R O. Sat eſt Hieronymũ, Auguſtinũ, & cæteros patres, quotquot ſcripſerunt, Petrum fuiſſe teſtari. C A M. Quid Clementi reſpõdent? P R O. Hieronymus in libro de Viris illuſtribus, cum opera Clementis enarraret, libri iſtius nũquam meminit. C A M. Non quidem hoc argumenti genus firmum eſt. Hieronymus & Auguſtinus libros illos non uiderunt: ergo illorum libri minimè fuerunt. cùm multa Hieronymus librorum uolumina eodem in loco ſilentio prætериuerit, qui non propterea ab Eccleſia non recipiuntur. P R O. Maiorem fidẽ his duobus, quàm cæteris omnibus adhibebo? C A M. Mea ſententia maiorem. P R O. Quapropter? C A M. Ob teſtimonium Petri, qui palam teſtatur, Clementi plus cæteris ipſius uitam notam fuiſſe, proinde & ipſum in ſucceſſorẽ pontificatus elegiſſe, quaſi quod ab eo longa conſuetudine edoctus, alios ſecũdum Petri doctrinam commodius inſtrue-
lem.epi. re potuiſſet. *P R O. Hoc diſcriminis inter nos eſt,
col.2. quia negamus Clemẽtis librum eſſe. C A M. Ratione uel auctoritate fide digna probet: maior fides uni uiro ĩſigni, uti Euſebius eſt, adhiberi debet, ea affirmãti quæ ipſe legit, quàm mille teſti-

bus id negantibus quod ignorant. PRO. Num Eusebius euangelista? nónne ille est qui epist. ad Heb. Pauli esse negauit? CAM. Eá scilicet ob causam, quia suo tẽpore ab Ecclesia recepta nõ erat. PRO. Textui repugnat cum ait: Iacobũ Cephã & Ioannem, sibi dextras dedisse, quandoquidem hi tres Ecclesiæ columnæ erant, non autem alter discipulus Cephas, cuius tu meministi. CAM. Minimè Paulus in loco illo, *ea dũtaxat narrauit, quæ cum solo Petro circa exclusionem legalium tractauerat: immò potius singula, quæ ubiq; circa hoc ei occurrerãt. Et dum ait [cũ uidissent] in tertia persona [quod creditũ est mihi Euangeliũ sicut & Petro: Iacobus, Cephas & Ioãnes dederũt mihi dextras] satis ostendit Cepham alterum à Petro fuisse, sicut Iacobus & Ioannes alij à Petro erant. PRO. Cum uidissent, intelligendum est, quòd Petrus quoq; uiderit. CAM. Non refello: uerùm quia paulò post eos, qui dextras dederũt, & Petrũ tacet, esse potest, ut alter Cephas dederit, quando si multi Iacobi, multi Simones, multi Iudæ fuerunt, multi quoq; Cephę esse potuerunt. Nam quando uoluit Paulus de Petro loqui, in eodem textu, Petrum ter Petrum uocat. Nec facta Apostolorum duntaxat recenset, sed lxx. quoq; discipulorum, quorũ unus Barnabas erat, cuius meminit: & similiter potuit Cephę reminisci. Quis enim dicet, ut qui ter Petrum nominauerat, ter Cepham eundẽ mutato nomine

*Cap. 1. & 2. ad Gala.

paulò

paulò pòst nominaſſet, & non potius de altero Cepha ſenſerit? Adauget animũ ut hoc cõfirmẽ, quia idem Cephas qui dextrã dedit, paulò pòst Antiochiam uenit, quod de Petro nõ legimus, imò Clemens qui perpetuò cum Petro erat, contrariũ teſtatur. Cur pręterea tã acerbè, ſicut uos animo fingitis, cõtra Petrũ locutus Paulus fuiſſet, quẽ tãtoperè paulò antè (ſicut Claudius fatetur) ueneratus fuerat? pẽſanda quidẽ, nõ autẽ deglutiẽda textus illius uerba ſunt: pręſertim cũ ex his apertis buccis Paulũ ſuperiorẽ Petro facere conamini. PR. Siue Petrus ſit, ſiue diſcipulus alter: ſat mihi eſt, eã ob cauſã reprehẽſũ fuiſſe, quia iudaizabat. CA. Hoc certè premere debemus: ſed maius hoc deliriũ altero pręcedẽti eſſe euidẽtiſſimè commonſtrabo. PR. Perge. CA. Omiſſis Hieronymi & Auguſtini controuerſiis: partitionibus itẽ, quas Scholaſtici horum authoritate faciũt,* ſummatim quid tandẽ ſentiã, enarrabo. PRO. Ego uerò attentas aures præſtabo. CA. Placuiſſe Iuriſconſultis principio ſcire debes, ꝙ tametſi à lege correcta argumentari nobis fas nõ ſit: à ratione tamẽ in ea cõtẽta, quæ ſemper uiuit, liceat omnino. tenes hoc? PRO. Teneo. CAM. Rationem igitur legis Moſaicæ ſuper idolothytis non comedendis inquiramus: quo illa cognita, an eadem cæterarum legum, eorum item quæ Apoſtoli fecerunt, cõdigna cauſa eſſe poterit, intelligamus: ut omnia ſecundum iuſtitiam pro-

¶ Cõtendũt Proteſtantes, quicũque ille Cephas fuerit, peccati mortalis à Paulo eſſe correctum.

*Aug. epiſt. 8. & aliæ multæ quæ in 2. tomo Hier. impreſſæ ſunt: eiuſdémq; Hier. multæ, & in expo. c. 2. ad Gala.

*Thom. 4. ſent di. 1. q. 2. 1. 2 q. 103. 4. ad 2.

¶ Licet argumentari à ratione legis correctæ.

¶ Ratio non comedendi idolothyta in cauſa fuit, ut contrariæ leges promulgarentur.

cesserint, tametsi inter sese contraria quodammodo esse uideãtur. PRO. Optima propositio, perge. CA. Hic scopus legislatoris erat, quippe ut ieiunando, idola fugientes, Deum coleremus: itáque animæ salutem quæreremus: pro qua cætera quoque membra laborare deberent, ut omnia in ædificationem fierent, nemini scandalum inferendo: quod totum à charitatis radice processit, quam pro legis ratione, ieiunij legifer habuit. PR. Magna certè charitas fuit tempore illo regni Satanæ, legem hanc promulgare, ne aliter faciendo Hebræi inter se scandalo unus alteri esset, idolorum nimirum sacrificia manducando, in quo idola colere uidebantur. CAM. Sed hac, maior altera habenda est, quando lex gratiæ uenit, & regnũ Dei intra nos esse cœpit. tunc enim legalia isthæc, quæ umbram futurorum habebant,* non autem rerum imagines continebant, haudquaquã ipsi Deo beneplacita, omnino cessarũt: in aduentu scilicet illius qui dixerat: Ecce uenio, in capite libri scriptum est de me. * Quę uerba Paulus intuens, subiungit: Aufert primum ut sequentem statuat, meliora quæ sequuntur, in locum anteriorum subrogando. * At si dicas, quomodo? confestim subdit: Translato enim sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio uerò melioris spei, per quã proximamus ad Deum: reprobatio quidẽ fit præcedentis mandati,

¶ Ratio ipsa charitas est, in proximi ædificationẽ.

* Colo. 2. Heb. 8.

Heb. 10.

Hoeb. 1. b.

Heb. 7. mandati,propter infirmitaté eius & utilitatem. Vtilitatem,inquã,quoniam infirma & egena illa eleméta erant, quibus denuò seruire nõ debemus: nobis tunc data,quando paruuli sub mũdi elementis eramus, non auté pro tempore plenitudinis Christi,*qui sua morte omnia consummauit. *Gala. 4. P R O. Quorsum tendis? C A M. Rationé enarrare laboro,ob quam lex antiqua,cuius memini,edita fuit, & quã ob causam fuerit abrogata : ut lege illa cessante Paulus audacter diceret, Omnia mũda mundis:*& nihil reiiciendũ quod *Tit. I. cum gratiarũ actione percipitur.* *I.Tim. 4. P R O. Illa adinuenta,euestigiò à te quæram, cur post Christi morté,cùm Apostoli omnes,tum Paulus,tũ Cephas contra hanc Christi legé Moysi seruiendo contrariũ statuerint? C A M. Neq; Apostoli,neq; Paulus,neq; Cephas, Moysis legi seruire cogitarunt,neq; peccarũt, tametsi Cephã unum ex lxx. iustè Paulus reprehenderit. P R O. Vbi post Christi morté legalia seruari posse absq; peccato cõmõstraueris: solúmq; Cephã iustè correctũ, non tamen peccasse docueris: ori meo euestigiò digitum apponã. C A. Ratio legis in causa fuit,ut omnia quæ fecerũt Apostoli,quanquã inter se repugnantia uiderentur, iustè absq; peccato facta sint,per extensioné scilicet rationis,quæ ex méte cõprehensiua omnia futura cõtinebat in se ipsa. P R O. Dic lucidius. C A. Rationé legis,& quomodo post legem abrogatã adhuc uigeat,paulò

¶ *Post Christi morté legalia Apostoli seruarunt, & tamé nemo præter Cepham nec ueniali peccato peccauit.*

¶ *Rationis extensio ex mente comprehensiua, in causa fuit, ut cõsona illa fuerint, quæ dissona uidebantur.*

antè uidisti. PRO. Vidi. CAM. Præpone nunc tēpus oculis tuis, quando Hebræis uetitū fuit ne idolothyta comederēt: & protinus inuenies solam charitatē legislatorem mouisse, ut propter causas suprà enarratas, legem ipsam, inhibendo esum idolothytorū conderet. PRO. Probe. CA. Rogabo nunc, an Apostoli qui altera ex parte ui debāt omnia legalia cessasse: ex altera uerò, fore, ut si esum idolothytorū adhuc ad tēpus inhiberent, magna pars gentiliū à cultu idolorum cito auerteretur: & ne illi perirēt, quos lucrifacere insudabant, intra se dixerint: Non quidē legis mēs illa fuit, ut hoc uel illud manducari simpliciter prohibuerit: sed ad illorū ædificationem, ut salui fierent, idolothytorū esum inhibuit. Rationem itaq; legis (ut salus quæratur) amplectētes, ut magna pars gentiliū saluetur: mentem legis latoris, qui legē (ne idolothytis uesceremur) promulgauit, interpretantes: ad hunc nouū casum eam extendimus, ut eadem charitas quæ ratio legis cōdēdæ fuit, ne comederent, tunc hunc casum cōprehendatne, comedātur, nunc ut paulatim gētiles discant ab idolis discedendo, sub lege Christi uiuere. PRO. Non mihi displicet sententia ista. CAM. Statuamus igitur Apostolos dixisse, ut ab his tam diu adhuc abstineant, quandiu solidiores erunt, ut idola abnegantes, omnia cum gratiarum actione comedere nobiscum possint. nónne iure licito id factū? non solùm quia Euāgelium

gelium adhuc plenè prædicatū non erat, (ut Augustino placet) uerùm etiam quia eadem charitas, quæ antiquæ legis tépore hoc statuere ne comederentur in ædificationē suasit, etiam quādo Euangeliū non modò magna ex parte prædicatum, sed etiam receptum fuerat, eandē ædificationem (nō tanquā Moysis legem, immò potius spiritus sancti, sicut dixerat: Placuit spiritui sancto & nobis) post Christi mortem rursum ut fieret, suadere debebat. PRO. Vtiq;. CA. Scito igitur supra hanc rationem omnia quæ deinde tam Paulus quàm Cephas egerūt, esse fundata. PRO. Dic nominatim. CAM. Paulus nanq; de se ipso testatur, omnibus omnia factū esse, ut omnes lucrifaceret: Vbi in aperto Pauli charitatem uides, propter quam, & Timotheū post Christi mortē circuncidit, ne scandalo illis esset incircuncisus, quē audire propterea recusassent. *Eadémq; charitate motus semel se totondit, oblationésque secundū legem obtulit: * nō ut Mosaicus esset, sed ut charitatis memor sua prædicatione multos conuerteret: mentē legis antiquæ cogitans, quā ad hos nouos casus, modo legem limitādo, modo uerò ampliando extendebat, quādoquid[em] ille erat, qui mentis Apostolorū conscius, [qua]ndo fortiores in fide gentiles fuerunt, id [q]uod omnes Apostoli simul lactentibus ge[nt]ibus præceperant, sua lege, uoce præconia reuocauit: iubens ut omnia in ædificationē facerent, eo quòd

Quomodo charitate retenta Paulus legalia absque peccato seruauit.

*Acto.16.

*Acto.18.

omnis creatura Dei bona est,& nihil reiiciēdum quod cum gratiarū actione percipitur. *PRO. *1. Tim. 4. Tuo ergo iudicio saturatus, Hieronymū & Augustinū simul cōtemnis. CA. Aliud certè est isthæc dictis eorū addere, sicut facio, quàm contradicere, prout tu putas. Nō quidē nego, quin Augustini distinctio legis, uitę Christi, atq; perfectę prædicationis euangelij, omnibus antedictis satisfacere possit: sed per hęc quę nos addimus, uiā potius cōmonstramus, quare illa secundū uolūtatem Dei ad hūc modū præcesserint: præsertim cum facilè aduersarij excipere possent, gentiles à Paulo plenè iam edoctos fuisse, atq; euāgelium lōgè antea accepisse, quàm Apostoli suos quoq; legatos cum hac dispēsatione misissent. Rursum quia si quæramus à Paulo, cur quādo dicitur nobis firmis in fide, post plenitudinē prædicationis euangelij, quæ causa est, ut nos abstinere debere ab idolothytis dixeris, quādo alter idololatra idolothytum esse indicauit? *Charitatem ipse respondendo proponet, propter conscientiā alterius, * ne ex esu tuo quasi idola uenereris, scādalizetur, & cōfirmetur in perfidia sua: non autem [illegible]et, quia euangelium plenè prædicatū non est. cæt[illegible]um quia dare esset casum qui ab Augustini ratio[illegible] non cōplecteretur. PRO. Quem in modum? [illegible]AM. Etenim si à me quæratur, an ubi idolothy[illegible] esse doceatur, comedere cum proximi scandalo liceat, Pauli præceptum citarem

*1. Cor. 10. f.

*Vt sup.

¶ Retenta eadem charitate, aliud Paulus statuit.

tarem, ut illa comedere non liceat, quia charitas hęc, unà cũ præcepto Pauli, ſic perpetuò in hoc caſu uiuit, ſicut tẽpore legis Moſaicæ in uniuerſo firma mãſit, atq; pro tẽpore mãdati Apoſtolici durauit. PR. Cephæ factũ, qui nõ peccãdo iuſtè reprehenſus ſit, audiamus. CA. Quid obeſſe Cephę poterat credẽti per gratiã Chriſti abſq; legis adiumẽto ſaluari, quin eo modo quo Paulus legalia ſeruabat, ipſe quoq; idipsũ ageret? certè nihil. PR. Cur igitur reprehẽſus? CA. Quia lõga eius mora, quæ ab ipſo non cõſiderata ei nõ obfuit, Barnabæ & cæteris ſcãdalũ maximum præbuit, ut initiũ charitatis, quod in Cepha aderat, ad impietatẽ & ſuã & aliorũ, cõuerſum fuiſſe putarẽt. quocirca æquũ fuit, ut charitas altera Pauli, alteræ Cephę charitati, reprehẽdẽdo quod abſque peccato factũ erat, ſuccurrerit. PR. Nõ ergo in ueniale peccatũ Cephas incurrit. CA. Scãdalũ acceptũ nõ datũ in cauſa fuit, ut Paulus acclamaret. in quo an ueniale Cephas cõmiſerit, parui refert: nil tamẽ mali, facti cõſcius, ꝑter morã ipſam egit: & hoc quidẽ Paulus tãto cũ clamore nõ reprehẽdiſſet, qui alio in loco dixit, nõ apprehẽdat uos tẽtatio, præter quã humana. Ex ꝗbus habes, quomodo Eccleſiæ ſuper charitate Chriſti fundatæ, ſpiritu ſancto duce, in ædificationẽ omniũ delectum ciborum præcipere licuerit, lege ueteri Moſaica, per nouam omnino excluſa.

¶ *Quam ob rem Cephas nõ peccauit.*

CAPITIS SEXTI § QVINTVS.

Altera Melanchthonis falſitas hic detegitur.

PROTESTANS CAMERARIVS.

¶Spiridionis historia falsò descripta.

RECitatur historia de Spiridione Cipriano Episcopo digna memoria: cùm ad eũ uenisset hospes die ieiunij, nec subitò emi aut parari cibi usitati tali die posset, iubet carnes quas habet cõditas apponi: Nõ uescor his hodie, ĩquit hospes, sum enim Christianus. Tũ Spiridiõ, & hanc ipsã ob causam te uesci decet, quia Christianus es: nã omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendũ quod cũ gratiarũ actione sumitur. Obtẽperabat hospes, & admonitus hoc exẽplo discit, lõge alios maiores cultus Deo præstãdos esse, q̃ hęc ciborũ discrimina.*C A. Putat historicus Melãchthõ, nostros Theologos Tripartitã historiã, ubi istuc enarratur, nõ legisse, ut falsitatẽ falsitati addere nõ erubescat? cur tacuit tale historiæ illius exordiũ esse? Vidẽs itaq; pegrinũ ualde defectũ, pge (ĩquit filię suę) laua peregrini pedes, & cibos appone: cúmq; uirgo dixisset nec panẽ esse, nec ἄλφιτα (quarũ rerũ solebat nihil habere recõditũ, ꝓpter ieiuniũ) orãs primũ, ueniãq; petẽs, filiæ iussit ut porcinas carnes quas domi salitas habebat, coqueret: q̃bus coctis, sedẽs cũ peregrino positis carnibus comedebat, & rogabat ut unà cũ eo ederet pegrinus: quo refutãte, Christianũ se ꝓfitẽte: ꝓpterea magis inq̃t refutare nõ debes: omnia mũda mũdis, sicut sermo diuinus edocuit. Quid igitur Spiridiõ fecit? pegrinũ ualde defessum, nõ autẽ robustũ hominem domi recepit: quid item docuit, nũ ut ubi panis aut alia cibaria quadragesimæ

*Tripar. c. 10.

gesimæ tempore adfuissent, carnes comedendas esse iusserit? non certè, siquidem hos cibos prius præparari præceperat: & cum audiret, nec panem domi adesse, duplici necessitate urgente, cibi nimirum & personæ, cui cibus exhibẽdus erat, carnes coqui mãdauit. Quẽ modum hoc filiæ præcipiendo seruauit? cibum oratione (iuxta Pauli doctrinam) sanctificauit, quando dixit, nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione sumitur. Sanctificatur enim per uerbũ Dei & orationem.* Neque hoc contentus, ueniam quoque à Domino petiit, ut dispensationẽ legis illam esse ostenderet. Quid præterea Spiridion fecit? exẽplum in seipso rei licitæ præbuit, qui comedens carnes, ob charitatem ieiunium non fregit: sic factum, ut alter absq; scrupulo carnes comederet. Quid denique pro causa addidit? Omnia mũda mundis esse: mundis inquam, quando non gula, non contemptu, carnes quoq; in quadragesima, charitate necessitatéque urgentibus manducantur, eo quòd necessitas, ieiunij præceptum excludit.* Hæc pro causa dispensationis Spiridionis in peregrinum à rhetore isto expendenda erant, & cætera, quę ego suo loco, cum de ieiunij dispẽsatione agemus, subiungam: non autem dicere, non esse promptos cibos ad emendũ, & reliquas nænias quas suo ingenio falso fingit, ut hoc aperto mendacio ueritatem umbrare quiret. Hic plane locus, ubi aliud testimonium non habere-

*1. Timo. 4.

*Ex. de obser. ieiunio. c. Cõsilium.

mus, os ei omnino obstrueret, dum tot necessitatibus concurrentibus, oratione præuia, atque uenia obtenta, Spiridion dispensat. in quo satis ostendit, contrarium legem iubere: quippe quo necessitate cessante, cum delectu ciborũ in quadragesima ieiunare debeamus, sicut principio ipse quoque filiæ iussit, ut quadragesimales cibos pararet.

CAPITIS SEXTI § SEXTVS.

Melanchthonis argumentum tertium soluitur.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

¶ Non quod intrat coinquinat, Protestantes inquiunt, non discernentes peccatum ex corde exire, cùm uetitum à lege intrat.

CHristum mendacem faciemus? cum dicit, Nõ quod intrat, sed quod exit, coinquinat?* *Matth. 15.* CAM. Neque cibus qui intrat, neq; qui exit nocere mundis potest, sed hoc malum quando immundus sit qui manducat. PRO. Quapropter? CAM. Meminisse te autumo quando Paulus dixit: De escis autẽ quæ idolis immolantur scimus quia nihil est idolum in mundo: & paulò pòst, Quidam autem, cum consciẽtia usque nũc Idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia illorum cùm sit infirma, polluitur.* **1.Cor. 8.* Vbi bellè uides, non rem quæ mãducatur, immò potius mãducantis mentem spectãdam esse, ut anima polluatur néc ne. Fit nanque idolum, ubi non est falsa credulitate comedendo. Quibus iam cernis, quomodo cibus intrans nil per se efficere potest, cùm

*Rom.14. cùm eſca nõ ſit regnũ Dei:*neque ſi manducaue-
rimus abundabimus, neque ſi non manducaue-
1.Cor.8. rimus deficiemus. Omnia quidẽ ſunt mũda,ſed
malum eſt qui per offendiculum manducat, ut
mundo id quod intrat peccatũ exire cauſet: quia
tunc ex corde exit,& peccatum eſt,ſicut Chriſtus
declarat, rurſum ne malus animus cum cibo in-
tret, & cibus corpus iniuſtè enutriens, animam
comedentis polluat. Hæc enim cùm alibi obſer-
uaſſet Paulus, idolothyta permiſſa manducanti-
bus,ac uetita ſimul eſſe declarauit, inquiẽs: Om-
ne quod uenit in macello, manducate, nihil in-
terrogantes propter conſcientiam. Domini eſt
terra & plenitudo eius. Si quis uocat uos infide-
lium & uultis ire, omne quod uobis apponitur
manducate, nihil interrogantes propter conſciẽ-
tiam:quaſi dicat, Nil ueſtra intereſt, qui ſic man-
ducando cum gratiarum actione manducatis. Si
quis autem dixerit, Hoc immolatum eſt idolis:
nolite manducare, propter illum qui indicauit,
& propter conſcientiam:conſcientiam dico,non
1.Cor.10.f. tuam,ſed alterius. Ecce iam uides eandem rem
ubi munda mẽte comeditur licitam eſſe, ubi au-
tem ſcrupulus perditionis fratris accedere poſſet,
omnino uetari. Atque hinc alibi Paulus: Videte
ne hæc lætitia noſtra offendiculum fiat infirmis.
& paulò pòſt: Quapropter ſi eſca ſcandalizat fra-
1.Cor.9. trem meum, non comedam carnes in æternum.
Voluntas igitur hominis urget, ut ſciamus qua

uoluntate cibum intromittit: ut uoluntas, nõ autem res, peccatũ parturiat, siue in se propriã animam polluẽdo, siue in alium offendiculum causando: siquidem inuoluntarium peccatum, nullum esse potest.* uoluntas autem perpetuò bona, quæ ad ędificationem tendit: perpetuóque mala, ubi propriam uel proximi perditionem inquirat. Hæc uerborum Pauli summa, quibus Christi uerba declarantur, & Spiridionis charitas laudatur. Vestra autem pertinacia prorsus condemnatur, dum uel gulæ ob causam, uel inobediẽtiæ quam summo Pontifici atque Catholicæ Ecclesiæ denegatis, taxatos cibos cũ Spiridione & cæteris patribus comedere haudquaquam uultis: Parum offendicula, quæ Paulus pensat ponderãdo, quod totã ecclesiam perturbetis: satis esse putantes, his falsis næniis, populi auram captare, ut cibos uobis hac falsa uia scribendo & concionãdo quæritetis.

*August. in serm. de tẽp. 91. & Hiero. in expo. symbo. ad Dam. & sermo. 3. de san. Trini. tom. 10.

CAPITIS SEXTI § SEPTIMVS.

Melanchthonis argumentum quartum excludimus.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

SPiritus manifestè dicit (Paulus inquit) quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam consciẽtiam,

1.Timo 4. tiam,prohibentiũ nubere,abſtinere à cibis,quibus uerbis,uos oſtẽdit, qui certis temporibus cibos prohibetis.CAM.Longiſſimum Auguſtini tractatum habes contra illos,qui nuptias malas eſſe dixerunt.* quanto item tempore illa hæreſis durauerit non comedentium carnes animalium mutorum,res perſpicua eſt. Illa quoque ſuperſtitio non comedendi idolothyta, abſque proximi ſcandalo cum gratiarum actione. PRO. Hæc omnia noui. CAM. De illis igitur Paulum locutum fuiſſe intellige.PRO.Quis interpretationis huius author?CAM.Reſpõde tu prius, an iſthęc duo ſint, non manducandum eſſe cibum quia ſuapte natura res mala eſt,uel non manducandũ, quia mãducanti nocere poteſt.PRO. Duo.CA. Vbi duo,Paulus interpres ſui ipſius ſit,dum poſt uerba illa abſtinere à cibis, eueſtigiò ſubiunxit: Quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus,& iis qui cognouerunt ueritatem,quòd omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*:ubi in aperto uides de ipſis creaturis, an malæ eſſent nec ne, ac propterea diligerentur, quæſtionem fuiſſe.Hæc ipſa ueritas eſt,quã multis rerum argumentis Auguſtinus contra Fauſtũ elucidauit, docens nil immũdum à natura eſſe, ſed hominis uoluntate immũdum fieri*,de quibus quàm latè ſuperius egimus, non ſunt iterum atque iterum inculcanda.Quæ ubi ita ſe habeãt,

*Cont.Fauſtum lib. 30. c.6.

*In eodem c.4.Tim.1.

*Lib. 30. cap.5. cui cõcilia omnia ſubſcribunt.

quid commune alterũ cum altero habet, ut Ecclesia illorum ciborum abstinentiam ad tempus prohibeat, qui in se boni sunt, quò depressa carne spiritus surgat: eadémque caro commissi peccati per eam pœnas det? præsertim cùm hoc unũ inter cætera Deus in die ieiunij à nobis exigat, quippe ut cum animarũ afflictione ieiunemus,* est'ne lege aliqua interdictum ne à non necessariis abstineamus? non quidem sapientiores interpretes ipsis Apostolis inquirere debemus, qui partitionem hanc confirmant: cuius uerba hæc sunt: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quiuis de sacerdotali consortio, nuptiis & carnibus, & uino abstinuerit: non propterea quod mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, sed propter abominationem: oblitus quod omnia pulchra ualde, & quod masculum & fœminam Deus creauit hominem, sed diffamatiotionibus lacessens creationem Dei uocat ad calumniam: aut corrigitor, aut deponitor, & ex Ecclesia deiicitor. Consimiliter & Laicus. *Et paulò pòst: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, carnibus & uino festiuis diebus non utatur, ídque per abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis: deponitor, tãquam qui cauterio notatam habeat conscientiam: & multis author sit offendiculi: * quibus uerbis omnia à Paulo sparsim dicta uno canone complexi fuere: Quid ultra quæris? PRO. Negamus nos illos

Leui. 23.

¶ Apostolorum canon.

**Canon. 50.*

¶ Alter Apostolorũ canõ.

**Canon. 52.*

illos Apostolorum esse canones. CAM. Debile præsidium isthuc est à nobis euidentissimis argumentis iamdudum exclusum. Sed quid si omnia cessarent, dic amabo an Paulus sibi ipsi cõtrarius sit? PRO. Absit. CAM. Respõde rursum, an quãdo aliquid dispensando permittitur, satis ex dispensatione constet, legem Dei cõtrarium ius statuere in his, cum quibus minimè dispensandum est? PRO. Vtique. CAM. Sed sic est quod Paulus consulit Timotheo, ut paruo uteretur uino propter stomachũ, & cæteras infirmitates, quod indulgere sibi ipsi fuit: ergo minimè delectionẽ potus Paulus inhibuit. PRO. Sibiipsi uoluntariè Timotheus abstulit uinum. CAM. Itidem & sibi ipsi uolũtariè tota Ecclesia carnes abstulit in die ieiunij. PRO. Duret ergo ad libitum. CAM. Iam durat, neque Ecclesiæ catholicæ uoluntas, à uolũtate paucorum turbari potest. Dic obsecro, num maioris authoritatis Ecclesia Israëlitica nostra fuit, quando suis traditionibus cæteros tunc neque inuitos, neque consentientes in festis & ieiuniis obligauit? * Aut fortasse res noua est, ut consuetudo non scripta, quæ à uoluntate populi libera proficiscitur, cùm in ius scriptum redacta est, legis uim habeat? præsertim in casu isto, in quo Papa & Cõcilia uniuersalia, super modo comedendi, absque populi consensu, legem condere potuissent. Ponderate scripturam, ô uentres pigri, quæ ab initio diuersum comedendi modum

*Diximus sup.

ad nostram doctrinam ordinauit, nēpe ut Elias principiò comedens pro toto tempore longissimæ quæ supererat uiæ, delecto cibo panis subcineritij & aqua ieiunauerit, ut suo exemplo cum cibo sic nobis ab Ecclesia tradito, sicut Angelus ei præcepit, ieiunare queamus. Moyses uerò nihil comedens, mysteriū alterū nobis ostenderet, quod apertis uerbis Christ⁹ elucidauit, quādo dixit, Nō in solo pane uiuit homo, sed de omni uerbo quod procedit de ore Dei.* quod quidem nō solùm ab ipso fuit consummatū, sed alterius idipsum agētis Augustinus testimonium reddit.* Porro dicemús ne dies festos antiquæ legis, atq; ieiunia, potuisse ab Ecclesia in nouos trāsferri, ut Christi essent, Deū autē imitari non liceat, qui nil aliud egit quàm cibos à constitutione mūdi deligere?* Quid enim agimus, cùm deligendo cibos rudiores, ieiunamus? num iudaizare? nō quidem: Siquidem illi hebetiores tum mentes, tum uentres efficere uesperi delicatis cibis operam nauabant: nos autem ut graciles uentres nostri efficiantur, solicitiq; summis cum uigiliis, salutē inquirere: per Christum Dominum nostrum. Quoniam scriptum est, Qui manducat cum gratiarum actione, & opiparè Domino manducet, à quo cibos ad manducandum habuit. Et qui non manducat: uel quia non habet, uel quia propter Deum non manducat, lætus ieiunet, ut ab eo per Christum peccatorum ueniam obtineat.* Quid denique

*Matth. 4.
*Epist. 86.
*Sup. c. 3. & seq.
*Rom. 14.

denique præcipiendo mater Ecclesia egit, num pharmacum filio dat, qui illud sorbere nequeat? non quidem, sed potenti: quòd si potenti, num filio inuito dare non debet, cui non accipiendo mortem subire necessum est? Dicant Protestantes uestri de spiritu sancto garrientes, num Ecclesia quasi dyscola hoc egerit, an potius spiritu sancto docente? PRO. Nos spiritus sanctus docuit. CAM. Quando Deus magister illorum discipulorum fuit, qui uentres opplere curant, num sic Eliam discipulum manducantem docuit? num alterum non manducantem Moysen? num proprium filium suum? num cæteros sanctos patres? Hactenus sufficiat Melanchthonis tum dolum tum ignorantiam in re theologica ostēdisse, quā minime potuit elegātia sermonis occultare. Vade in pace: ego uerò reliqua cum pia hac illustrissima Duce elucidabo.

CAPVT SEPTIMVM.

Quinque requisita ad ieiunium, ut meritoriè ieiunemus: quorum primum est, ut sit purum.

DIANA. CAMERARIVS.

SVmmam ego ex hac uestra concertatione hanc colligo: Ieiunium quadragesimæ, Christi, Apostolorum, atque Ecclesię pręceptum esse, rectè cum delectu ciborum constitutum: quod si quis trāsgressus fuerit, mortaliter peccet. Super-

est modo uidere, quomodo ieiunare debeamus dum ieiunamus, ut meritorium nostrum ieiunium sit. CAM. Sat est hactenus isthæc memoriæ cõmendasse. Dubitabam certè ne argumẽtis & exceptionibus nostris, mentẽ conturbassemus tuam. DIA. Age obsecro, ut posthabitis disputationibus, pro concionatore mihi seruias, ea duntaxat afferendo, quæ catholicum ieiunantem audire conducat. CAM. Debes principiò cum ieiunas tibi ipsi proponere, ut ieiunium tuum purum sit, simplex, non superstitiosum, castum, moderatum, Hieronymus inquit.* DIA. Fac quæso, ut speciatim uocum harũ significationes intelligam. CAM. Quanquã Hieronymus hoc nõ agat, neq; commodè agi possit, eo quòd impossibile quodammodo est, unam declarando alteram non tangere: ne tamen inobedientiæ noter, ut potero, illa sigillatim elucidabo. DIA. Quid per PVRVM Hieronymus intelligit? CAM. Vt cum fundamento charitatis ieiunes, non timore pœnæ, sed propter Deum, quem amas. Sic enim Paulus nos docet, cum ait, Qui sapit diem, Domino sapit:* quasi dicat, Domino sapit, qui propter Deũ, nõ propter homines ieiunat.* quẽadmodum eodem in loco subiungit, quando dicit: Qui manducat, Domino mãducat: & qui nõ manducat, Domino non manducat.* Tria enim hæc sunt, Oratio, Eleemosyna & Ieiunium, quæ clam fieri propter Deum, non autem ad hominũ laudem

*Hiero. de uita cleri. tom. I. col. 8.

*Rom. 14.

*Hiero. sup. c. 14. ad Ro.

*Rom. 14.

¶ *Purum ieiunium illud est, quod charitatem pro fundamento habet: sic enĩ propter Deũ ieiunamus.*

Matth.6. laudem aucupandam Iesus docet : quoniã nulla erit nobis utilitas, siue ieiunemus, siue oremus, siue præstemus misericordiam, nisi propter illum fiat solum, qui nouit abscondita, & in mentis nostræ profundo reposita. Ita ut ieiunium correptum, mite, atque humile sit, præsentis uitæ despiciens gloriam, *quandoquidem si quispiam malum putaret ieiunium, & si ieiunaret, in malitia esset*, neque inter illos connumerari posset, quibus Esaias loquens dixit: Ieiuna ut audiaris*. Cogitat nanque quod laborem ieiunando sustineat, nondum tamen pro Christo crucifixus est, quemadmodum ieiunando facere tenetur, ut ieiunium pro cruce nobis sit.* Quis enim ieiunasse se dicere audebit, quando nõ propter Deum ieiunauit? Siquidem non ipsa eorum quæ fiunt natura, sed Dei uoluntas atque decretum efficit, ut eadem uel bona sint uel mala.*

*Chry. tom. 5. hom. 72. col.2. de Ieiunio.
*Chry. eod. lib. serm.1.
*Esa.58.
*Chry. tom. 5. de Ieiunio serm.1. col.5.
*Chry. aduer. Iud. col.2.

¶ *Ieiunium crux est.*

CAPITIS SEPTIMI § PRIMVS.

Secundum, ut sit purum & simplex.

DIANA. CAMERARIVS.

IActo hoc fundamento, quòd propter Deũ ieiunem: quid tunc agere debeo, ut ieiuniũ meũ simplex sit? CAM. Tunc simplex erit, quando puritati ieiunij quod propter Deum fit, hanc simplicitatem addideris, ut nil gloriæ humanæ illi addas: Domini præceptum obseruans, cum ait: At-

tendite ne iuſtitiam ueſtram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: ſed ieiuna in abſcō dito, & pater qui uidet, reddet tibi.* Quocirca cauendum ne cùm ieiunas, offenſam Dei, populorum laude cōmutes: ſed memor Apoſtoli eſto, dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem: quaſi per bonam & malam famam, à dextris & à ſiniſtris, optimus Chriſti miles ſic gradiri obligetur, ut nec laude extollatur, nec quolibet contrario frangatur.* Laborat certè ex æquo, tam is qui propter Deũ, quàm alter qui propter homines ieiunare proponit: non tamen idem fructus eſt: uni quidem merces laudis humanæ datur, alteri uerò pro deuotione humilitatis meritum gloriæ in futuro ſeruatur. * proindéque ſic orandum, ne rectum iter frangat aura popularis.* Itaque in puritate & ſimplicitate ieiunãdi conſtituta, orationem in primis eam ob cauſam ieiunio coniũgere debes, ut tota Deo unita, ſic ieiunium cum oratione colliges, ſicut ſcriptura coniungit. Nã cùm oraſſent & ieiunaſſent, Lucas inquit, commendauerũt eos domino, in quẽ crediderant.* & alibi Paulus, Ne fraudetis inuicẽ, niſi in precatione & ieiunio. * Sic enim quandocunque Sancti pro aliqua neceſſitate uoluerunt orare Deum, ieiunium cum oratione iunxerũt,* ita ut abſtinentia tua & ieiunium, eò magis Deo grata ſint, quò cum ſanctis moribus offeruntur: ut quæ in aliis ſunt umbracula uitiorum, in te ſimpli-

*Matth. 6.

¶ *Quid ieiunantes, ut uideantur, cōſequuntur.*

*Hiero. de uita Clericorũ. col. 8.

Chry. tom. 2 ex uariis Matth. locis, hom. 10.

¶ *Ieiunio oratio coniungenda.*

*Hiero. de uita Cleri. col. 6.

*Acto. 14.

*1. Cor. 7.

¶ *Sanctimores, ieiunio et orationi ſunt addendi.*

Chry. ſup. 6 c. Matth. ho. 15.

*Hiero. ad Demetriadē de uirgin. col. 11.

*Exod. 23.

*Eccle. 18.

*Aug. ĭ ſer. de tem. 62. ſerm. 1. & ſerm. 182.

*Aug. ſerm. de tem. 172. ſerm. 31. in roga. in fi.

*Chry. hom. 34.

*Aug. in ſer. de tem. 64. ſerm. 2.

¶ *Eleemoſyna, ieiunio, orationi & ſanctis moribus addenda*

¶ *Eleemoſyna præparatur anima, antequam oremus.*

¶ *Pauper.*

ſimpliciſſima ſint ornamenta uirtutum.*Orationi uerò (eo modo offerendæ ſicut ſuperius diximus) & eleemoſynam copulare non deſinas, quãdoquidem nihil ei ieiunium prodeſt, qui ieiunando ſe auarum oſtendit. Intrat nanque uacuus ante conſpectum Dei ſui, quod Deus minimè elígit*, qui per os ſancti prophetæ quoque nos admonuit, ut ante orationem pręparemus animam noſtram,* quam tũc ad orationem præparamus, quando elargitis eleemoſynis ad orandum accedimus, ut deinde ieiunium orationis ſit adiutorium: & ab eleemoſyna ambo roborentur, ne nõ erogando eleemoſynam nullum bonum ſit: niſi fortè ita ſit aliquis pauper, ut non habeat omnino quod tribuat, quo caſu ſufficeret bona uoluntas, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.* Imple miſerationis officia, & ieiunia ſanctificaſti.* alioqui nec bonum opus ieiuniũ cenſetur, ſed crapulãte, & ebrio peior eſt eiuſmodi homo, & tanto peior, quanto delitiis crudelitas grauior.*Et denique ſic ieiuna, ut in alio mãducante prandiſſe te gaudeas.* Contemplare pręterea cùm ieiunas, quòd ſicut oleum accendit lumen lucernæ, eáque accenſa, una ex his quæ tibi inſeruiunt: tum ne lumen pereat, tum ut lucidius lumen candela emittat, ſubinde emunctorio cãdelam emungit: Sic eleemoſyna, oleum tibi ſit, excitans fidem cordis, confidentiámque animæ

apud Deum orandi præstans: ieiunium uerò adiuuet, ut feruentiùs oret. DIA. Obligamur hæc omnia in ieiunio quadragenario seruare? CAM. Hoc ieiunium illud magnum perfectum & simplex est, in quo sic ieiunare debemus, ut abnegãtes impietatẽ & secularia desideria, sobriè, iustè, & piè uiuamus,* interea temporis saltem dũ ieiunamus: & hoc non momento quidem, sed integro quadragesimæ tempore, cuius minime te longitudo terreat, ut dicas, Satius esse puto, ut bis in hebdomada his in hunc modum impletis ieiunem: non enim possum adeò intenta diuino cultui esse. Siquidẽ quo modo caro se habet, quæ post multos dies pepercit cibo, ut suauiora ei obsonia uideantur, eodem se anima habet, quæ pascitur Dei uerbo raro*: immò potius, maius hoc ieiunium maiorem causam remedij esse cogita, à Deo præceptum, qui medicum animarum nostrarum filium suum quem misit, ad nostram doctrinam ieiunare idcirco uoluit, ut suo exemplo nobis ostenderet congruens tẽpus ieiunij huius esse, quod nec breue est ad exorãdum, nec longũ ad promerẽdum: iustis nimirum requiem postulantibus, peccatoribus uerò ad ueniam peccatorum impetrandum.* Vtiliúsque esse existima cũ hæ tentationes adueniũt, uel quoquo modo peccas, non expectare mortiferã securitatem, ut uulnera inflicta putrescant: alia uerò insuper augeãtur, sed continuò per pœnitentię ieiunij ipsius remedium

¶ Quadragesimæ ieiuniũ adeò indiuiduum est, ut minime prosit aliquãdo ieiunasse, si quis integrũ quadragenarium ieiuniũ nõ ieiunauit.

¶ An sufficiat ĩ ieiunio quadragenario alternis hebdomadibus ieiunare.

* *August. in Euangelium Ioan. tract. 17. col. 3.*

* *Aug. de Rectitudine conuersa. c. 9. to. 9*

* *Aug. serm. de tem. 69. feria quarta, serm. 1.*

*Aug. ĩ euã. Ioan. tra. 12. in fi.

medium, medicinam adhibere festina: *quoniã Quadragesimæ ieiunium unicum est, quod ubi integrum non seruaueris, Quadragesimam non ieiunasti. Sic enim quidam, quorum Ambrosius meminit, alternis hebdomadibus ieiunare solebant, quibus in faciem restitit, dicens: Cur etiam per illos septem dies fraudem ieiunando facitis, cum uobis tale ieiunium haudquaquam prosit?* Quod si adhuc natura omnino negat, largiorem eleemosynam da, feruentior in oratione esto, maioremque alacritatem in audiendis diuinis eloquiis habeto, in quibus corporis infirmitas nihil obstare potest: Dominum quidem habemus mãsuetum & misericordem, & nihil supra uires nostras à nobis exigẽtem.* Caue omnino, noua quę efferuntur ab aliis, in Dei Ecclesia audire, aut aures res uanas enarrantibus in orationis loco, benignas præstare: sed tota aut lectionibus diuinarum rerum, quas domum rediẽs recolere possis, aut orationi intenta esto. * Sis simplex tanquam columba, simplici ieiunio ac puro Deo unita, & non pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia, uel pro misericordia ieiunes, sic enim ieiunando conscientia tua testimonium reddẽte quod pro solo Deo simpliciter ieiunas, secura & publicè ieiunare poteris, ut uirtutem tuam cęteri imitentur.*

*Amb. serm. 34.

¶ Quid illi agere debẽt, qui non possunt quadragesimæ ieiunium integrũ implere.

*Chryso. in Gen. ho. 10.

¶ Vanæ ratiocinationes in Ecclesia non sunt audiẽdæ

*Chryso. in Gen. ho. 4.

*Aug. ĩ ser. de tem. 60. serm. 2.

CAPITIS SEPTIMI § SECVNDVS.

Tertium, ut non solùm purum & simplex, uerùm etiam non superstitiosum sit.

DIANA. CAMERARIVS.

¶*Contra illos, qui delicatos cibos & ientacula parant.*

QVid uox SVPERSTITIOSVM signi ficat? CAM. Quid enim prodest oleo non uesci, quod Ecclesia permittit: & molestias quasdam, difficultatésque ciborum quęrere, carycas nimirum, piper, nuces conditas, palmarum fructus, similam, mel, pistacia, ídque genus reliqua? Tota præterea hortorum cura uersetur, ut cibario non uesçatur pane, & dum hunc in modum delitias sectamur, à regno cælorũ retrahamur? Quid iuuat neque panem manducare, neque aquam bibere, inde uerò sorbitiũculas delicatas, & contrita olera, herbarúmque succũ, non calice sorbere, sed concha? Proh pudor, non erubescimus istis ineptiis, nec tædet superstitionis?* Num isti qui tale ieiunium explent, ueteres concupiscentias castigant, aut potius nouas suauitates exquirunt? Quid quæso uasa, ubi carnes coctæ sint, quadam superstitione formidare illis est, qui deinde in proprio uẽtre carneo, gulæ dedito, quadragesimales cibos sic ebullire procurãt, ut concupiscentias ex momento in momentum pariant? nónne potius quando tempus reficiendi uenit, & optimas mensas superstitiosis cibis paratas, atque refertas, inueniunt: ueluti pecorum

**Hiero. de uita Clericorũ, col. 8.*

¶*Cõtra illos, qui in uasis in quibus carnes coctæ sint comedere nolunt, uentrẽque deinde onerãt, & cæteris superstitionibus operam dant.*

quæ

quæ in præsepia irruunt, uentrésque distendunt, ipsi quoque paulò pòst permanebunt? artificiosis & peregrinis condimentorum diuersitatibus tantùm capientes manducando, quantum digerere non possunt ieiunando: num quadragesimæ piæ humilitas hæc erit, an potius nouæ uoluptatis occasio? Quid enim absurdius quàm tẽpore, quo caro arctius est castiganda, tantam suauitatẽ carni procurare, ut ipsa faucium concupiscentia nolit quadragesimam pręterire? Quid magis alienum, quàm diebus humiliatis, quãdo parum uictus omnibus dandum est, ita uiuere, ut si toto tempore sic uiuatur, uix possint uictum patrimonia sustinere? * Nolo quoque ut quadam superstitione te ieiunasse putes, quam plerosque obseruare uidi. Dicunt nanque, Suum, leporum, atque ceruorum, auium & cæterorum delicatorum uolatilium esculentiam reprobamus, & solis carnibus absque sale coctis uescimur. Quid enim illis ieiunium prodest, si magna cum Ecclesiæ inobedientia ieiunãt, quæ omnes carnes, nõ autẽ illarũ partem exclusit? Quid præterea iuuat pisciculis sanguinem non habentibus uesci, ubi tantum specierum addas, ut quem habes sanguinem corrumpãt? nónne uana superstitio hæc erit? * Quid dicam? hoc certè dicam, ut scripturæ testimonia scrutemur ad nostram doctrinam scripta, memoresque simus, quando Israëlitę quadam curiositate, cibum mannæ duplicare procurabant, & uer-

¶ *Contra illos, qui uentrem nimium replent.*

* *Aug. 1. serm. de tem. in 8. Pascha, ser. 1. col. 4.*

¶ *Contra superstitiosa ac curiosa ieiunia.*

* *Hæc & alia: Hiero. de reg. Mona. in rubr. de absti. à carn.*

mes conſeruabant: ubi in aperto uidemus, omnẽ curam cibi excludẽdam eſſe, læti id capere quod Deus ad manducãdum dat. Hæc quidem intuẽs Ambroſius, quãdo fratribus uerbum Dei prædicabat, ſic dicere ſolebat: Igitur & nos fratres obſeruãtes Quadrageſimæ quotidiana & moderata ieiunia: tanquam in eremo conſtituti, nihil delitiarum ſecularium cogitemus, nulla nos cupiditatum corporalium dulcedo ſolicitet.* Fugienda equidem omnino talia ieiunia ſunt, ne cum idolorum cultoribus ieiunemus potius quàm cum catholica Eccleſia Chriſtiana: Iſides & Cybales imitando, qui idcirco in dies aliquot proferebãt ieiunium, nec panem manducabant, ut deinde phaſianis auibus explerẽtur.* Caute ambulemus, obſecro, quoniam Satã uerſutus eſt, & modò nos tentat, ut mox cùm ſignum horæ nonæ audiuerimus, nõ antequam ueſpertinum celebretur officium ad menſam accedamus: * aliquando etſi in tempore non pręuenit, cibos lautiores quærit: plerunque uerò quæ ſumenda ſunt procurari accuratius: ſæpe item ut maior quantitas illa qua egemus manducetur: nonnunquã quoque ut abiectiora immenſo deſiderio optemus.* Ille quidẽ eſt qui humanum genus tentatione fractionis ieiunij è terreſtri paradiſo deiecit. * Chriſtóq; dicere non erubuit, cùm cibum non inueniret, ut ſaxa in panem mutaret, ſolicitiúſque nobis perſuadere elaborat, ut delicatis epulis quadã coquendi ſuper-

Marginal notes:

*Amb. ſerm. 34.

¶ *Quot modis Satã nos tentat, dũ ieiunamus.*

*Hiero. ad Lætã de inſtitutione filiæ, tom. I. col. 6.

*De conſec. diſt. I. c. Solẽt

*De con. di. 5. c. Quinq;.

Gene. 3.

ſuperſtitione, ſeu nimia curioſitate coctis, ueſci optemus: *ut cum Iſidibus ieiunemus. quod quidem tale ieiunium eſſet, quale illud hypocritarũ eſt, qui exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus ieiunantes, & mercedem laudis humanæ in hoc ſeculo quærunt. * DIA. Eadem ratione neque uiliſſimorum ciborum ſatietatem permittes. CAM. Hanc quoque uitandam cenſeo, ſiquidem nil ita obruit animum, ut plenus uenter & æſtuans, cuius officium huc atque illuc ſe uertere, & ructus uel crepitus uentorum efflatione reſpirare, erit: hoc enim nõ tam ieiuniũ quàm crapula, ac fœtẽs & moleſta digeſtio appellandũ eſt.* DIA. Inhibes ergo tu, ne prima die quadrageſimæ omnia uaſa aqua mundentur. CAM. Currunt omnes prima quadrageſimæ die ad aquas, ut ollas, menſas, ſcamna, fictilia, & denique omnia mundent: currunt quoque poſt repletos uẽtres, cùm cibus qui decoquitur ſitim cauſat, ut aqua illã extinguãt: currũt ut manus, ne propter piſces malè oleant, aqua & unguentis mundent: ſed minimè illum audiunt qui poſt eos clamat, Sitientes uenite ad aquas, * purgantes puteum, * ut aquas de puteo ſaluatoris haurire queatis.* DIA. Quid iſtud? CAM. Triplex aqua ſaluatoris eſt: aqua lachrymarum, quando fleuit ſuper Lazarum, ſuper ciuitate Hieruſalem, & in cruce peccata eorum atque noſtra lugens: aqua quam miſit in peluim quando diſcipulorũ pedes à ter-

*Ambro. ſer. 32.

*Matth. 6.

*Hiero. aduer. Iouini. lib. 2. col. 13.

*Iſa. 55.

*Aug. ad fratres in ere. ſerm. 41.

*Iſa. 12.

¶ Satietas ſuperflua in ieiunio uitãda.

¶ Currũt ſuperſtitioſi ad aquas, ut ſe & uaſa mũdent, ſed minimè ad ueras aquas currunt, quibus anima perpolitur.

¶ Triplex ſaluatoris aqua.

renis concupiſcentiis mundauit, & aqua quæ de eius latere emanauit, in quibus pœnitentiam agentes, cor proprium, mentem, pedes, manus, faciem, corpúſque totũ lauare debemus*. Hæ quidem aquę prius erant quærendæ, & uaſa mundare non omittendum. DIA. Superſtitioſam me uocabis, ſi humili ueſte induta, abſque conſueto oleo optimum odorem ſpirante, ieiunabo? CA. Cùm ieiunaueris, unge caput tuum, & faciẽ tuã laua, Dominus dixit, non ſolùm metaphoricè uerba hæc intelligendo: nempe ut nil aliud ieiunare ſit, quàm à malo declinare: faciem lauare, bonum facere, caput ungere, totum ſe Deo tribuere.*cuius uoluntas eſt ut ieiunes à cibis, pariter & à peccatis: uerùm etiam ad literam, utpote ſi mos ille in patria tua adeſſet, qui in prouincia Palęſtina eſſe ſolebat, ubi in diebus feſtiuis caput ungere ſolebant: *ne ſcandalo cæteris ſis, aut in te ipſa de ieiunio glorieris, idem mos à te ſeruadus erit. DIA. Modum ungendi mihi præſcribe, & ueſtes oſtende, ut abſque peccato ieiunare poſſim. CAM. Cũ duæ ueſtimentorum ſpecies ſint, quarum altera latet, altera uerò cunctis patet: Volo ut latente ueſte aurea utaris, & non abſque quadriga ad templũ oratum accedas: Siquidem hoc tempus nobis conſtitutum eſt, ut uocati ad nuptias magni regis fratris noſtri & Eccleſię ſponſi, ornemus nos ueſtimentis, tubis, & cymbalis beneſonãtibus.* DIA. Pompam ſimplicitatis loco propo-

*Aug. ad fratres in ere. ſerm. 41.

¶ Omnis quoque ueſtimentorũ & reliquorũ ſuperſtitio auferenda.

*Aug. in loco citato. Amb. ſer. 34

*Hiero. Matth. 6.

¶ Quibus ueſtimentis ieiunãs ſe induere debeat, ut cum quadriga & magna põpa ad ſponſum Eccleſiæ accedat.

*Aug. ad fratres in ere. ſerm. 41.

proponis? CAM. Vis ſcire qualem quadrigam, qualéſue ornatus à te ieiunãte Dominus exigat? habeto prudentiam, iuſtitiam, temperãtiam, fortitudinem: & hæc quadriga ſit, ſuper qua ornata pretioſa ueſte charitatis, igneum currum Eliæ habens & equos, intereadũ pedibus terram calcas, cum Angelis coram Deo ſuos cymbalos pulſantibus conuerſeris. Alteram uerò ueſtem, quæ ab omnibus uidetur, humilem eſſe oportet. DIA. Quid cauſę? CAM. Nempe, ut te humilẽ in primis coram Deo exhibeas: deinde, ut cæteris bonũ exemplum præbeas. Dixerat nanque Ieſus, ut cũ eleemoſynam facimus, quæ abſq; tertij interuẽtu fieri non poteſt, & plerunque uideri ab hominibus neceſſum eſt, ut nolis tuba canere, quódque ſiniſtra omnino neſciat quid facit dextra.* In ieiunio autem & oratione eam ob cauſam nil tale addidit, quoniam id quod in eleemoſyna impoſſibile eſt ut omnino lateat, in oratione & ieiunio poſſibile reputatur: quocirca tametſi oleo pretioſo ungendum caput extra non ſit, cum in proximi ædificationem fit, è contrario quando gloria uana fructum intrinſecum auferret, excludẽdum erit, eo quòd non aliam ob cauſam delicata è medio auferẽda eſſe ieiunij tempore ſtatutum eſt, niſi ut ſeculariũ cura ad ſpiritualia transferatur* DIA. Peccatum itaque eſſe ornatum mulierum concludis? CAM. Minimè, quãdo ſpiritualia augent: tunc enim adhuc manere unguenta

*Matth.6.

*Chryſo.in Gene.ho.10.

¶Ornatus mulierũ propter bonum ſpirituale laudatur.

& ornatus possunt: Iudith exemplo, qui pro Dei prælio corpus proprium ornauit. Sic enim honestæ adolescentulæ, ut uiros quærant honestos, sese ornant: maritatæ quoque ut propriis uiris sobriè placeant. Animaduertẽdum tamẽ censeo, ut tũc hoc cum ieiunat fiat, quãdo sensus noster non id cogitat quod uidet, ne ab eius trahatur appetitu, cuius trahitur uoluptate*: tunc enim ab unguentis omnino abstinendum esset.*

*Hiero. ĩ regula Monachorum, sub rubrica I. de abstinentia, & præcipuè à carnibus.

*Hiero super Dan. c. 10. ibi in diebus

CAPITIS SEPTIMI § TERTIVS.

Quartum, ut ieiunium sit purum, simplex, non superstitiosum, castum.

CAMERARIVS. DIANA.

QVoniam sermo hic noster, tãtò magis Deo acceptus erit, quãtò utilior Ecclesiæ fuerit: quiescas paululum obsecro, donec astantibus malè ieiunãtibus hominibus, qui multi sunt, eorum falsum ieiunium aliqua obiter enarrando cõmonstrem. DIA. Perge. CAM. Animaduertite uos cæteri auditores, quæso, an uestrũ aliquis ieiunet cum uos ieiunare putatis. Ieiunia enim Christianorũ spiritualiter potius quã carnaliter obseruanda sunt, Augustinus inquit: unde à peccatis principaliter abstineamus, ne ieiunia nostra sicut Iudæorum ieiunia à Deo respuãtur. & paulò pòst: Ieiunium est quod probat altissimus, non solùm intermissa corporis refectio,

uerùm

uerùm etiam à malis actibus facta discessio. Itaq; si neque mens tua grauetur oppressa peccatis, neque animus tuus uitiorum illecebris delectetur, digna Deo exoluisti ieiunia.* Cæterùm si corpus tuũ ieiunia lõga cõsumpserint, atq; illi subtraxeris cibũ, cũ nõ detrahis uitia in malis perseuerãs, magis horres, quàm placeas Deo: quãdoquidem tũc erunt Deo accepta ieiunia, si operibus sanctis fuerit expiata cõscientia. Cur enim corpus fame discrucias, cur turpiter peccãdo blandiris? principaliter ergo animus ieiunet à malis, & sic corpus subeat exercendo ieiunia: nam cùm sit ieiunium animæ humiliatio, quale est humiliari cibo & augeri peccato?* Hæc Augustinus, & rectè, quãdoquidem eam ob causam potissimum ieiunamus, ut auertatur ira Dei quã meremur propter peccata nostra:* & propter peccatum ieiunare, & in peccatis uolutari, quid aliud est, quã si quispiam luto lotus sit, iterum luto uolutetur? quæ enim priorum peccatorum pœnitentia hæc est, si sequentia repetuntur? non quidem hi ieiunant ut ueniam consequantur, quoniam scriptum est. Vidit Deus opera eorum qui cõuersi sunt, de uia sua mala, & misertus est Deus super malitia quã locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.* Vbi quatuor uidemus: ieiunium nimirum Niniuitarum, cõuersionem à uia mala, opera bona quæ faciebant, & misericordiam Dei: quam non pręstat, nisi tria prima præcedant. Putabant nanque

*Aug. in ser. de tem. 172. feria 3. Rogat. ser. 1.

*Aug. in ser. de tem. 172. feria 3. ĩ rogat. serm. 1.

*Aug. ser. de tem. 183. de orat. dominica.

*Ionæ 3. d

¶Capitis 58. Esaiæ elucidatio.

& Israëlitæ, quia populus electus Dei esset, & ieiunarat, ut omnino exaudiretur, dicẽtes Domino: [Quare ieiunauimus, & non respexisti, humiliauimus animas nostras & nescisti?] parũ animaduertentes ad peccata, in quibus uiuebant. Quapropter in hũc qui sequitur modũ, Esaiã Dominus alloquutus fuit: [Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorũ.] Obseruate obsecro uerba hæc (populo meo) ô uos Christiani populus Dei, qui in peccatis manẽtes, absq; pœnitẽtia ieiunatis. [Me etenim de die in diem quærũt, & scire uias meas nolunt.] At dices, num malũ hoc est? cui respondebo, idcirco malum esse, quia non ad misericordiam quasi pœnitentes confugiebant, sed [quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerint] Dominum quærebant: sed falsum hoc erat, quemadmodum sequentia, uerba commonstrant, [Ecce in die ieiunij uestri, inuenitur uoluntas uestra:] ut in propriis concupiscentiis ambuletis, [& omnes debitores uestros repetitis: ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè,] putantes in tali pugno extrinseco pœnitentiam agere, quo in loco si qui malè ieiunant, eorum ieiunium quale sit, perspicuè intuentur. Atqui audite quid Dominus à ieiunantibus exigat, quibus ait. [Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem:] ut corpore nõ autem mente ieiunetis, quocirca non exaudimini. Sic

ni.Sic enim & Cain euenit, qui corde puro erga fratrem munera non offerebat. Sed ita ieiunate [ut audiatur in excelſo clamor ueſter,] hic enim ieiunij finis eſt, ut audiamur. [Nunquid tale eſt ieiuniũ quod elegi,per diem affligere hominem animam ſuam? nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccũ & cinerem ſternere?]quaſi dicat, in his operibus extrinſecis à corde non proficiſcentibus,ubi contrariæ operationes habitant,ieiunium non cõſiſtit,unde ſequitur: [Nunquid hoc uocabis ieiunium, & diem acceptabilem domino?]Inde uerò Dei ieiunium explicat,ſubiungens:[nónne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? diſſolue colligationes impietatis,ſolue faſciculos deprimẽtes]animas ueſtras, quì inimicis parcere haudquaquam uultis.[Dimitte eos qui contracti ſunt,liberos, & omne onus diſrumpe.] Si debitores tui quod debẽt, tibi ſoluere non poſſunt,noli tibiipſi ſic agẽdo nocere,ſed ab his malis quæ patraris,abſtine. Verùm quia non ſufficit à malo abſtinere, niſi fiat quod bonum eſt,addit,[Frange eſurienti panẽ tuum] quem habes,ut partem proximo eſuriẽti des.[Et egenos uagóſque induc in domum tuam] quæ adeò anguſta eſſe nõ poteſt, ut alterum peregrinum nõ capiat.[Cùm uideris nudũ,operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris] opera miſericordiæ exercendo,de quibus copiosè ſuo loco diſſeremus.Ecce ieiunium Domini quod à nobis exi-

¶ *Ieiunium quod Deus à nobis exigit.*

git: hoc uos ieiunantes expendite, ut uideatis an corpore ieiunãdo & mente ieiunetis. Venite igitur ad aquas putei Saluatoris, uenite, & cum ieiunatis, interiorem exteriorémq; hominem ſimul lauate: quoniam honor ieiunij non ciborum abſtinentia, ſed ſimul cum ea peccatorũ fuga eſt. * agite ut hoc modo loti, non uenter & os tantùm ieiunent, ſed oculus, auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis ueſtri membra. Sed quæres, quomodo iſthæc mẽbra omnia ieiunabunt? abſtine à ciborũ farragine, quo obeſus uenter tuus non ex cõſuetudine, ſed mente ſpirituali ad audiendum uerbũ Dei quod concionatores à prandio prædicant promptum accedere ſit. ibíq; nullos ciborum fumos ſurſum mittat, qui à contẽplatione diuinorum auertere ipſos dormientes in Eccleſia ſolẽt. Ieiunat os, à carnibus & multis piſcibus abſtinendo. age ut ieiunet à maledicẽdo. Quæ enim utilitas eſt ab his abſtinere, fratres uerò mordere? ſiquidem detrahens proximo carnes eius comedit, iuxta illud Pauli: Si autem uos inuicẽ mordetis & comeditis, uidete ne inuicem conſumamini: *Ieiunet manus nõ modo ne aliena rapiat, ſed ſi quid rapuerit, eadem cum diligentia pecunias numerando, reſtituat. Ieiunent oculi, non ſolùm diſcentes alienas pulchritudines non ſpectare, uerùm etiá ſurſum in Deũ ſeſe attollere, ut eam patriam inquirant, quam optant: illúdque ineuitabile tribunal, perpetuò

mentis

Chryſoſt. ad popu. Antio. hom. 3. tom. 5.

¶ *Modus hic oſtenditur, quomodo ieiunando omnia membra ieiunent.*

¶ *Os.*

¶ *Manus.*

*Gala. 5.

¶ *Oculi.*

mentis oculis conſpiciant, ubi ira, uel corona noſtrorū operum præmia erunt. Circuant undique loca, ut ſi quos egentes cōſpexerint, miſericordiæ opera in illos exercere poſſint. Ieiunent & aures, detractiones & cætera uana audire effugientes: prōptę perpetuò ad audiendum uerbū Dei, ac cætera quæ in animę ædificationem tendunt. Ieiunent & pedes, ut nō eò tendāt ubi peccata multiplicare facilè contingat: pergat magis templa, carceres, cœnobia infirmorum uiſitādo, ut ſanctum ieiunium Deo offerre poſſit.* Agite quæſo, ne cū Phariſæo ſine fructu ieiunetis, quēadmodum aliqui religioſi uiri ieiunare ſolēt dicentes, Cœlibem uitā ducimus, ſaccus & ieiuniū nobiſcum manent, quibus Dei iram placamus: uitam tamen non mutant, ut Dei miſericordiam impetrare poſſint. *Quibus dicere poterimus, Quid prodeſt abſtinere à cibis, & errare implicati peccatis? caſtigare corpus inedia, mentē uerò excercere nequitia? uinū forte nō bibere, & ebriū cogitatione malignitatis incedere? niſi quòd facilior cauſa eſt ebrij, quàm iniqui pariter & ieiuni? Siquidem ebrius quando obdormit, deſinit peccare: hic autem errare nō ceſſat, qui exercitatus malis ieiuniis ſemper inuigilat: unde inutile & inane eſt tale ieiunium, quod inedia membra debilitat, & animam à perditione non liberat.* Quid enim Laicis quoque ieiunia, quæ caſtitatē ſecum nō retinent, prodeſſe poterunt, ſi toto die

¶ Aures.

¶ Pedes.

*Chryſo. ad popu. Antioc. hom. 3.

*Idē ibidem.

¶ Contra illos, qui caſtè uiuendo, in ſacco ieiunāt, ſed uitam nō mutant.

*Ambr. ſer. 33.

comœdiis audiendis uacant, aut ludis aliis diem pertransire eligunt? libros diuinos cõtemnentes, per quos tum propriã, tum proximorũ mentes irrigare quirent? quandoquidem ieiunia, preces, uictimę, & holocausta tũc proficiunt, cum recedimus à uitiis, & flemus antiqua peccata. Si autem in sceleribus permanentes putauerimus uotis atq; sacrificiis redimere nos, uehementer erramus, iniquũ arbitrãtes Deũ.* Ad uos, ô religiosi uiri, si qui tales, pauci tamen estis, qui superbia, odio atq; inuidia ad summũ referri ex rusticis, q esse solebatis, prælati deinde facti, nescio quas diabolicas sententias in eos, quos odio prosequimini, neq; Deũ, neq; regulã, neque iuris rectitudinem, immò & rititudinem (ut ita loquar) præ oculis habentes, rusticorum more qui lites dirimere nõ norunt, proferre soletis: interim tamen ieiunatis, immò & panẽ supersubstantialem singulis quibusq; diebus iudiciũ animarũ uestrarũ manducantes comeditis: & hoc quidem ut his quæ diximus rectè expensis confestim uideatis an uobis cœlibem uitam ducentibus, saccus & ieiunium, ad obtinendũ Dei misericordiã prosint. Agite ut uilis tunica contemptũ seculi probet, ita dũtaxat ne animus tumeat: *agite obnixe rogo, ut corpus & anima simul ieiunent: corpus à cibis, anima uerò ab omni re mala, * ut sanctis ieiuniis propria peccata redimatis: Salomonem imitantes, qui cùm pœnitere elegisset, Cogitaui

abstinere

¶ Mali guardiani & prælati.

**Hiero. Hiere. 14.*

**Hiero. ad Rusticum de uiu. forma. col 3.*

**Chry. super Matth. c. 4. ho. 5. col. 9.*

abſtinere à uino carnem meam, dixit:* per quod omnis peccati abſtinentiam ſignificare uoluit, ne fortè cum Cain qui rectè obtulit, non autem rectè cum fratre diuiſit, Dei charitatem non uidens, ieiunium offeratis ueſtrum. *

*Hiero ſuper Eſa. c. 58. ibi rogant me.

CAPITIS SEPTIMI § QVARTVS.

Quintum, ut ieiunium ſit purum, ſimplex, non ſuperſtitioſum, caſtum, moderatum.

DIANA CAMERARIVS.

Reliquum eſt, ut MODERATI ieiunij uerba faciamus. CAM. Quoniã alij amaris, alij dulcibus, alij auſterioribus, alij leuibus delectantur cibis: *alia item conditio ſeculariũ, alia uirginum & monachorũ: principiò diuerſas regionum atque hominum conſuetudines enarrabo: deinde uerò diuerſas hominum qualitates, ætates, temperationes atque naturas conſiderabo: ut denique moderati ieiunij formã facilè concipere queamus. Videmus nanque moderatum ieiunium Iſraëlitarum in uniuerſo fuiſſe, ut nullo ciborũ delectu poſt ſtellæ apparitionẽ uentrem ſaturarent. Quod tamen ieiunium, minime Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias elegerunt: quãdo Daniel, Malazar, Eunuchorũ principem rogauit, inquiens: Tenta nos obſecro ſeruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad ueſcendum, & aqua ad bibendum, & con-

*Hier. in regula Mona. tom. 4 in rub. de tempera. ieiu.

¶ *Volentes de moderato ieiunio agere, principiò aliqua enarramus, quæ in teſtaméto ueteri ſtatuta leguntur, ut alter altero durius ieiunaret.*

¶ *Iſraelitæ poſt ſtellæ apparitionẽ ſemel comedebant.*

¶ *Daniel & ſocij leguminibus, & aqua ueſcebatur.*

templare uultus nostros, & uultus puerorũ qui uescuntur cibo regio: & sicut uideris, facies cum seruis tuis: post dies autem decem apparuerunt uultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris qui uescebantur cibo regio.* Et paulò pòst de seipso sic Daniel loquitur: In diebus illis ego Daniel lugebã trium hebdomadarũ diebus, panem desiderabilem nõ comedi, & caro & uinum nõ introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum, donec cõplerentur trium hebdomadarum dies.* In quibus uerbis obseruare poterimus, haudquaquã ab Israëlitarũ Ecclesia inhibitum fuisse, ut particulares sponte ieiunantes, rudius ieiunium eligerent, quinimmò certis temporibus alterum abstinendi modũ Deum præcepisse iis, qui uel sacerdotio præerãt, uel se sanctificare uolebant: siue integer populus esset, siue priuatus, à quo Dominus hæc exegisset. Ostendunt primum ieiunium magis durum sacerdotibus iniunctum, uerba quæ dominus Aaron dixit: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculũ testimonij, ne moriamini: quia præcæptum sempiternum est in generationes uestras, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctuarium & profanum, inter pollutum & mundum: doceatísque filios Israël omnia legitima mea, q̃ locutus sum ad eos per manus Moysi.* Secundum uerò, ut à populo idipsum exigãt, uerba

¶ *Danielis ieiunium.*

¶ *Possumus duriora ieiunia seruare, quàm Ecclesia agat.*

¶ *Rudiora ieiunia quæ Deus tam populo quàm diuersis personis præcepit. hactenus à nobis Protestátibus non insinuata.*

¶ *1. Sacerdotibus præceptum.*

¶ *2. Populo.*

*Dan. 1. c.

*Dan. 10.

*Leui. 40. b.

uerba Domini commonſtrant,quando dixit:Panem & polentam & pultes non comedetis ex ſegete, uſque ad diem qua offeretis ex ea Deo ueſtro.* Itidem & à quocunq; priuato idipſum requiſiuiſſe, ſequentia uerba docent: Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Loquere ad filios Iſrael,& dices ad eos: Vir ſiue mulier,cum fecerunt uotum ut ſanctificētur,& ſe uoluerint Domino cōſecrare,à uino, & omni quod inebriare poteſt,ſe abſtinebunt. Acetū ex uino,& ex qualibet alia potione, & quicquid de uua exprimitur,non bibent:uuas recentes,ſiccáſque non comedent,cūctis diebus, quibus ex uoto Domino conſecrantur: quicquid ex uinea eſſe poteſt, ab uua uſque ad acinum non comedent.* Porrò & filij Prophetarū (quos monachos in ueteri teſtamento dicebant) ædificabant ſibi caſulas prope fluenta Iordanis,& turbis urbium derelictis,polenta & herbis agreſtibus uictitabant.*Et cū tria dogmata Iudæorum eſſent,Saducæorum,Phariſæorum,atque Eſſeorum: Eſſei,uino,carnibus & uxore perpetuò abſtinuerūt: itaque ieiunabant, ut quotidiana ieiunia in naturam cōuerterent.* Hactenus quædam aceruaſſe ſufficiat,quibus ultra ea quę ſuprà cum Melanchthone diximus,in aperto uideas, Deum duriorem uitam certis tēporibus cum ciborum delectu ſanctis ſuis præſcripſiſſe: Itidē & ſanctos idipſum in ſemetipſis ſtatuiſſe,quemadmodum & Ioānes Baptiſta ſuo

*Leui.23.b.c.

¶3.Particularibus.

*Num.6.

¶Ieiunium à Monachis ueteris teſtamēti electū.

*Hierony. ad Ruſticum monachum de uiuendi forma, col.3.

¶Eſſeorū ieiunium, ſine uino, carnibus & uxore.

*Hierony. in regul. Monachorum,in rubrica de abſtinentia Philoſophorum.

ſeruauit. DIAN. Erraſti, Camerari, iſthæc Melanchthoni nõ enarrare, quæ facilè illi rei huius ueritatem poterant perſuadere. CAM. Cùm peccato in ſpiritum ſanctum dolo ueritati contradicendo ille peccet, cui* pœnitentiam dare raro Deus conſueuit: proinde ſatius eſſe putaui, ut margaritas has ueris Chriſticolis exhiberẽ, quæ & illis communes eſſe poterunt, qui Catholicorum libros legere ſolent.

CAPITIS SEPTIMI § QVINTVS.

Diuerſi modi ieiunandi in Eccleſia Chriſtiana, hoc loco enarrantur, ut deinde quod moderatũ ieiunium ſit, intelligamus.

CAMERARIVS. DIANA.

NVnc ut ad Chriſtũ nos conuertamus, & ad Eccleſiã, quæ poſt eum ſucceſſit: ut manu tangere an temperatum ieiunium ſtatuerit, incipiamus. DIA. Perge. CAM. Si Chriſti perſonã intuebimur, iam cõſtat uinum bibiſſe, ac carnes manducaſſe, ieiunij tamen tempore, ut deinde eſuriret, nihil omnino comediſſe: Apoſtolos itẽ quẽadmodũ Acta docẽt, * poſtquã noui utres in aduẽtu ſpiritus ſãcti facti fuerũt, nil aliud fermè egiſſe q̃ ieiunare, * quẽadmodũ Chryſoſtomus & cæteri poſt eũ teſtantur, * ita ut Petrus (ſicut ſuprà enarrauimus) oliuis dũtaxat & pane ueſceretur: quam uitam & cæteros eam ob cauſam ſeruaſſe putamus,

¶ *Quale Chriſti ieiunium fuerit.*

¶ *Quale Apoſtolorum, quãdo utres noui facti ſunt.*

* *Acto. 13.*

* *Aug. in ſer. de tem. 186. ſer. 3. & ſer. 188. ſerm. 1.*

* *Chry. hom. 58. & c. 17. Matth. col. 5.*

putamus, quia Christum perpetuò ieiunare post baptismum uiderunt,* tametsi eo præsente non permiserit Apostolos ieiunare. DIA. Christum igitur imitari in hoc obligamur. CAM. Nõ pro præcepto illud dedit, Aug. in loco citato respondet, sed alio exemplo hoc pręcepit, quãdo acriore luctamine cum tentatore confligitur. DIA. Hoc Augustino quis reuelauit? CAM. Consuetudo Ecclesiæ catholicæ, quæ eo modo mentem Christi declarat, quo priuilegium principis mentem declarare solet: fas tamen est ipsum imitari, quẽadmodum Apostoli fecerunt. Et post hos Sancti patres primitiuæ Ecclesiæ aduenerũt, inter quos uitam sacerdotũ Aegypti legimus, qui neq; carnibus uescebantur, neque uinum bibebant, propter sensus tenuitatem, & libidinis appetitũ, quæ ex his nascuntur: neque etiam panem comedebant, ne stomachum onerarent: oleum tantùm in holeribus nouerant: oua præterea & lac uitabant, quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant colore mutato: bidui triduíque eiusmodi ieiunia sustinebant, ut humores qui ex otio proueniebant, hac inedia siccarentur.* Quid de Asella dicam cui parua cella propriis sudoribus fabricata, orationis locus erat & quietis? hic enim pane, sale, & aqua frigida, cõcitabat magis esuriem, quàm restringebat: ídque manuum operibus comparabat, sciens scriptum esse: Qui non laborat, nõ manducat.* Taceo quã-

*Aug. serm. de tem. 157. ser. 1. col. 2.

*Trip. lib. 9. c. 38.

*Hiero. de abstin. Monach. in ru. de absti phi loso.

¶ Christus perpetuò post baptismum ieiunauit.

¶ Sanctorũ patrum primitiuæ Ecclesiæ ieiunium, quale fuerit.

¶ Aegypti sacerdotes.

¶ Oua et lac.

¶ Asellæ ieiunium.

¶ *Pauli primi eremitæ ieiuniũ, Antonij, Hilarionis, Hieronymi.*

ta Paulus primus eremita passus est (cui ciborum uictiméta palma præbebat) Antonius, Hilariõ, atque Hieronymus: quorum uitæ scriptæ sunt, ne longiùs librum protrahamus. Sed audi quæso quid Hieronymus dicit: Iesum testor, & angelos eius, quòd in parte eremi, quæ iuxta Syriam Saracenis coniungitur, monachum uidi, qui per triginta annos inclusus, hordeaceo pane & luculenta aqua uiuebat. Alter in cisterna ueteri, per dies singulos quinque carycis sustentabatur.* Quo in loco sequentia uerba subiungit: Vnde si Dominus optionem daret, multo magis eligerẽ tunicam Pauli cum meritis, quàm regum purpuras cum regnis suis. Triplicis quoque generis monachorum Hieronymus meminit: Cœnobitarũ nimirum, Anochoretorum, & Romobothorũ, quorum cœnobitas duntaxat cõmendat: docens nos quod tametsi aliqua fratrum cõgregatio inordinatè uiuat, non propterea monachatus spernendus est, illorúmque uita qui summa cum castitate uitam beatam ducunt: quãdoquidem nec Phigelo & Alexandro facientibus naufragium, cæteri à cursu fidei destiterũt. Horum autem monachorum uita hæc erat, nempe ut perpetuò ieiunarent:* panem, legumina & olera, solo sale condita manducarent: uinum autem, tantum senes accipiebant, quibus & paruulis sæpè fit prandium: ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Excepta quadragesima, in qua

¶ *Monachus qui 30. annos pane hordeaceo & aqua ieiunauit.*

¶ *Alter monachus, qui in cisterna quinque carycis uiuebat*

*Hieron. in loco citato.

¶ *Paucos monachos qui malè uitam ducant, non posse reliquorum optimæ uitæ obesse.*

¶ *Monachi Cœnobitæ.*

*Histo. trip. & Hiero. in locis citatis.

in qua ſola cōcedebatur parcius uiuere: à quibus conſuetudo præterea ſeruata eſt, ut uſque ad horam nonam, prandium differentes, poſt communes orationes, & cōcilium in quo de regno Chriſti, déque futura beatitudine uerba faciebāt, unaquęque monachorum decuria cum ſuo parente ſub quo inſtruebantur ad menſam pergerēt: ubi abſque ſtrepitu, neminéque loquente, per ſingulas hebdomadas uiciſſim miniſtrabant.* Cæteros uerò uſus antiquioris Eccleſiæ Chriſtianæ, Epiphanius enarrat: nempe Romanos tres hebdomadas ante Paſcha, præter ſabbatum & dominicam continuè ieiunaſſe: Illyricos & quoſdam, ſex ſeptimanas: alij ſeptem. Et ex his omnino quidam ab animatis abſtinebāt: alij ex animātibus, piſces ſolummodò comedebant: quidam cum piſcibus ueſcebantur & uolatilibus: alij cum caulibus & ouis: quidam ſicco tantummodo pane, alij neq; hoc: alij uſque ad nonam ieiunantes horam, ſine delectu ciborū reficiebātur. Ita ut innumerę atq; diuerſæ conſuetudines apud diuerſos inuenirentur.* Quæ ubi ita ſint, quid noua hæc uentris animalia ſibi uolunt, cùm guloſam uitam nobis perſuadere laborant? Apoſtolorū mores & crucis duritiem aut neſciunt, aut contemnunt, Hieronymus inquit. Imitentur ſaltem gentilium paupertatē, atque inediam: uitam Pythagoræ, Socratis, Antiſthenis & reliquorum legant, ut aliqua ſaltem uia ieiunare diſcant, non autem ut populi

*Tripa. & Hiero. in locis citatis.

*Epi. in trip. lib. 9. c. 38.

¶Hora nona

¶Diuerſi modi, & tempora ieiunandi diuerſa.

¶Romani.

¶Illyrici.

¶Gentilium ieiunia.

¶Philoſophorum ieiunia.

auram captent, (præſertim ubi gula triumphat) ieiunium idcirco eliminare procurent. Dicunt nanque bonum eſſe ieiunium: quod tamẽ, ſicut paulò antè dixi, neq; præceptum eſſe contendũt, neque eo concionatores Proteſtantium aliquando utuntur, ut ſaltem imitatione alios ad ieiunãdum impellerent: laudant equidem mare, & per terram iter agunt. Itaque factis Chriſtum, Eccleſiam, & omnes honeſtos mores negant, maximũ in crimen incidentes, dũ nolentes ieiunare, alios ieiunare dehortantur.

CAPITIS SEPTIMI § SEXTVS.

Quod moderatum ieiunium dicatur.

DIANA. CAMERARIVS.

¶Monachorum quale moderatum ieiunium ſit.

SVades ergo tu, ut tam dura, longáque ieiunia Monachi ætatis huius ſeruare debeãt? CAM. Diſplicent in teneris maximè ætatibus longa & immoderata ieiunia, quibus iungũtur hebdomades, & oleum & poma uetãtur (Hieronymus ait) Siquidem experimento didici aſellum in uia cũ lapſus fuerit, diuerticula quærere: Quocirca in perpetuo ieiunio præceptum eſt, ut longo itineri uires perpetes ſuppetant, ne in prima manſione currentes, corruamus in mediis.* DIA. Nónne monachi noſtri temporis, plus ſolito offas & piſces triplicare ſolent? CAM. Parat Abbas æquales cibos robuſto homini neceſſarios, ignorans

**Hiero. de regula monachorũ, in rubrica de abſtinentia philoſophorum.*

corpo-

corporum uarias temperationes: ipſi uerò ſic comedere debent, ut ſtatim poſt cibũ legere, orare, & pſallere poſſint.* DIA. Strictius ergo monachi ieiunare obligantur. CAM. Sic exempla præceptorum Dei hactenus aceruata & patrũ uitæ docent. DIA. Quid de ſanctimonialibus ſentis? CAM. Virgines quoque Hieronymus admonet, ut cibus earum oluſculum ſit, & ſimila, ratóque piſciculi: ſicque comedant, ut ſemper eſuriant*, & ſtatim poſt cibũ poſſint legere, & pſallere: itáque orationi lectio, lectioni ſuccedat oratio, tenentíque codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat, *neque propterea uirgines putẽt piſces ſibi denegari: ſed quomodo nuptiis uirginitatem, ita ſaturati ieiunia præferri ſciant, intelligant quoque ſacrilegiũ reputari ebrietatem, præcipuè in fœmina, ſed infinito plus in Domini ſponſa.* Quibus hunc in modum explicatis, Proteſtantes interrogare poteris, ut dicant, quid impedit, poſtquã omnino ieiunandum Dei præcepto, & Apoſtolorum eſt, quin Eccleſia tempus & modum ieiunij ut temperatum ſit, atque proficuum ſtatuere potuerit? num fortaſſe hoc Eccleſiæ denegabimus, quia in meritorio ieiunio actus interior interuenit, quẽ in poteſtate Eccleſię non eſſe Proteſtantes contẽdunt? fabulæ: quandoquidem Eccleſia & corpus & animam, Chriſti authoritate, ligare atque ſoluere poteſt, in hoc præſertim ieiunio, in quo

Hiero. in loco citato.

Hiero. de regu. monacharũ. c. 35.

Hiero. ad Euſtoch. de cuſto. uirg. col. 8.

Hiero. de reg. monac. c. 36.

¶ *Monacharum ieiuniũ.*

¶ *Hieronymum ſanctimoniales in regula monacharũ, præſertim c. 35. & 36. legãt, & reliqua intelligẽt quæ breuitatis cauſa omiſi.*

¶ *Potuit Eccleſia tempus & modum ieiunandi præſcribere.*

Christi Ecclesia nil aut nouũ aut durius nos grauando præcepit, sed quod Christus & Apostoli nobis præceperunt. Quibus populus priusquam Ecclesia aliquid circa ieiunium statuerat, longe antea consenserat, siquidem Apostolorum tempore unà cum illis integra Ecclesia orabat, ieiunabátque*. Ipse quoque Populus in reliquis ieiuniis, quæ ab Ecclesia ut seruentur præcepta sunt, ante quàm Ecclesia id præciperet consuetudine non scripta sibi præscripsit, quam potuit Ecclesia in ius scriptum redigere. Non quidem immoderata imperantur ieiunia, aut enormis ciborum abstinentia, quibus statim corpora delicata frangantur (Hieronymus inquit) cui omnium ieiuniorum consuetudo & leges notæ erãt, ut id euenire contingat quod ego noui: nempe in utroq; sexu propter nimiam abstinentiam, cerebri sanitatem quibusdam sic fuisse uexatã (præsertim qui in humidis & frigidis habitauere cellulis) ut nescirent quid agerent, quóue se uerterent, quid loqui, quid tacere deberent: Ecclesiæque regulam sequens, subiungit: Tantũ ergo ieiuniorum assumamus, quantum ferre poterimus: itaque ieiunemus, ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in uigiliis solito quid minus faciamus,* modum in manducando seruãtes, ne nimia debilitent stomachum, & erumpãt in cruditatem, quæ parens libidinum est.* DIA. Da regulam, qua intelligam in quem modũ ieiu-

¶ Populi cõsuetudo non scripta, omne Ecclesiæ præceptum præcessit.

* *Act. 13.*

* *Hiero. de regula monachorũ in rub. de temperatis ieiu.*

* *Hiero. ad Rusticum de ieiunandi forma. col. 3.*

¶ Regula ut moderatè ieiunemus.

nij die me gerere debeam. CAM. Hoc ieiunium Deo acceptum esse scito: non solùm ut abstinentia castigemus corpora, sed etiã humilitate animas induamus: simus ad seruulos mites, blandi ad extraneos, misericordes ad pauperes: surgentes primo ad ecclesiam festinemus, referamus Deo gratias, peccatis ueniã postulemus, rogantes prçteritis delictis indulgentiam, cautelam futuris: tota die sit nobis oratio uel lectio: qui literas nescit, sanctum uirum perquirens, eius confabulatione pascatur: nullus actus seculi, actus diuinitatis impediat: non ludus tabulæ mentẽ auocet: non uoluptas canum sensum abducat: nõ negotij compendiũ animã auiditate peruertat. Quicquid enim aliud præter mandatum Dei feceris, quanuis abstineas, non ieiunas. *Quæ ubi non sufficiant, adhibeantur grauissimæ disciplinæ, Hieronymus subiungit: quo usque erigatur domina, ut seruiat serua: quod si iterũ erigitur, iterũ fatigetur, sed non ultra modum. *Hæc uera ieiunij regula est, quæ tam exacta esse non potest, ut ex æquo omnibus regula una detur. Siquidem quod uni est abstinentia, alteri ingluuies erit: tẽperantiæ nanque officium ieiunium est, ut quisque prudenter agat prout suæ ualetudini conducere uidetur: modo finẽ, quem Ecclesia inquirit, cõplectamur: quippe quo sic comedamus ut ad orationem nocte surgenti, non indigestio ructũ faciat, sed inanitas*: ne sic agendo ad intempe-

*Amb ser. 33.

*Hie. epi. 14.

*Hiero. de regu. mona. c. 36. & de custo. uirg. col. 8.

rantiam ieiunium cõuertatur, quemadmodum sępius contingere solet, ut quidam cùm uino sint sobrij, ciborum largitate sunt ebrij: * néue cum illis ieiunemus, qui biduo triduóque prætereunte uacuum portant uentrem, ut deinde adeò saturitate inediam compensent, quòd uenter pariter obruatur. * Hæc enim ubi recta statera expẽdantur, magis expedire unusquisque sani capitis iudicabit, quotidiana, moderatáque ieiunia esse debere, ne illico mens repleta torpescat, & irrigata humus spinas libidinum germinet:* quandoquidem nil sic inflammat corpora, & membra ad luxuriã titillat, sicut indigestus cibus, ructúsq; conuulsus:* satius, secundum Hieronymum, cũ sit, quotidie parum, quàm raro satis sumere: quotidie inquam, id est omni die, potius quàm post multos dies: non autem ut sæpe in die parum comedamus, carentes afflictione, quã usque ad horam nonam perpeti obligamur, * ut illud in animo Christiani cõpleatur, quod Apostolus dicit, Scio & saturari & esurire, abundantiam & penuriam pati.* Scio enim, paulò pòst idem Hieronymus subiungit, mihi abstinẽtiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam:*repetendo autem plus semper de corde, quàm de cibo cogitemus. Qui enim de sola carne cogitant, bestiis & pecoribus similes sunt, & in se Dei imaginem cõtriuerunt: seruam carnem reficiendo, animam uerò dominam fame torquendo: Apostoli omnino

imme-

*Hiero. ad Eustochium de custo. uir. col. 8.

*Hiero. de reg. monat. in rubr. de abstinentia, & præcipuè à carnibus.

*Hiero. de custo. uirg. col. 8.

*Hiero. de regu. mona. sub rub. de abstin. præcipuè à carnibus.

* Vt sup.

*Aug. de tẽ. ser. 44. I die quadragesimæ, serm. 2. prope fine.

*Hiero. de regu. mona. in rub. de abstinentia à carnibus.

immemores, quãdo nos admonet, Siue manducatis, ſiue bibitis, omnia in gloriam Dei facite.*

*1.Cor.10.

CAPITIS SEPTIMI § SEPTIMVS.

Hoc loco quædam determinantur quæſtio nes in moderato ieiunio quæri ſolent.

DIANA. CAMERARIVS.

CAuſam ſcire nunc uelim, quare Eccleſia noſtra durius q̃ Iſraëlitica egit, quę in his tẽporibus carnes uetauerit in quibus ieiuniũ pręcipit. CAM. Lutherani hoc quærere ſolẽt, quibus Auguſtinus hunc in modum reſpondet: Ceſſent lauacra, uina & carnes, non quod creaturam Dei iudicemus eſſe damnandam: ſed qui toto anno nobis uiximus, ſaltem uel paucos dies uiuamus & Domino.* DIA. Conſilium hoc eſſe, non autem præceptum, illi reſpondere poterunt. CAM. Ratio potius dicẽda erit, quæ Eccleſiam ad hoc præcipiendum mouit, Apoſtolorum ieiunium præ oculis habentes, qui tenuiori uictu ieiunarunt. Vbi tamen nolint Apoſtolos, Prophetas, Sanctóſque patres, & Dei Eccleſiam ſequi: opténtq; corporis curam facere: medicos ſaltem audiant, ut paulatim bene uiuere diſcant. Inter quos Hippocrates omniũ princeps, in Aphoriſmis ſic docet: Craſſa & obeſa corpora, quæ creſcendi mẽſuram impleuerint, niſi cito ablatione ſanguinis minuatur, paralyſim & peſſima morborum genera pa-

¶Quare uetentur carnes ab Eccleſia in die ieiunñ, Lutherani rogare ſolẽt.

*Aug. ſerm. de tem. 64. ſerm. 2.

¶Hippocrates.

rere:non enim in uno ſtatu natura corporum manere poteſt,ſed aut creſcere, aut decreſcere neceſſum eſt, cùm uiuere non poſſit animal, niſi nutriatur. Nolunt medicos audire, eligunt Epicuri omnino eſſe? Epicuros audiāt,ut pedetentim hac uia ad Chriſtum uenire incipiant. DIA. Quid Epicuri libertatis aſſertores docebant? CAM. Omnes libros ſuos oleribus, pomis, & uiliſſimis cibis replerūt,dicentes ita eſſe uiuendū: quia carnes exquiſitæq; epulæ ingēti cura ac miſeria præparantur, maiorémque curam habent in quærēdo,quàm uoluptatem in abutendo. Hæc enim Hieronymus expendens, olerum atque pomorū, ac leguminum cibaria prætulit,quoniam uno & duobus cibis,híſque uilibus, nemo uſque ad inflationem uentris ſaturatur. *DIA. Rectè quidē omnia.nil reſtat, niſi rationem ſcire,cur ante nonam comedere nequeamus. CAM. Hoc quoq; Lutherani quærere ſolent. DIA. Quid tu illis reſpondes? CAM. Omnes in hanc ſententiam cōcurrunt,ut ueſperi uel quando placuerit,non ante horam nonam propter antiquam Eccleſiæ cōſuetudinem bibamus uel comedamus.*Sic enim Cœnobitæ Apoſtolos imitantes ieiunabant, ſic cæteri patres ieiuniū cuſtodiebāt,ſic & nos ꝑpter concilij Calcedonenſis præceptum ieiunamus. DIA. Cōcilia illi negāt. CAM. Non tamē Petrū negare poterunt,qui circa horam ſextam non comederat,ſed orationi uacabat,quando alij parare uole-

¶ Epicuri.

¶ Solēt quoque & aliud quærere, nēpe ut rationē eis oſtendamus,quare non ante nonam mādu-cemus.

*Hiero. de reg. monac. in rub. de abſtinentia à carnibus.

*De conſe. diſt. 1. c. Solent.

uolebant(ſecundum conſuetudinem Petri)& ui-
Act.10. ri à Cornelio miſſi ad eum acceſſerunt. neque
& hoc negare poterunt, quippe nunquam ante
nonam uiſum eſſe, ut aliqui ieiunando (nec ipſi
Hebræi) comederint, eo quòd cum afflictione a-
Leui.23. nimæ ieiunandum eſt. DIA. Cur igitur ſeroti- ¶ *Serotinum ientaculum quale eſſe debeat.*
num ientaculum capimus? CAM. Non quidem
adeò te ſuperſtitioſam eſſe uolo, ut in ſerotino
ientaculo idcirco ieiuniũ te fregiſſe putes, quia
parum panis, uel quædã ex ſaccharo, uel aroma-
tibus cõdita, aut fructus, ſiue crudos, ſiue coctos
comedendo, ſemel aut pluries ſicut opus habes,
bibis: ſed abſque ſcrupulo medicinam illam, qua
ſequentis diei ieiunium ferre poſſis, ſumito: mo-
dò tu rectè iudices modum te non excedere, im-
mò potius tantum te ſumpſiſſe (quicquid illud
ſit ſecundum conſuetudinem ientaculi quod ſu-
mis) quantum tuæ complexioni neceſſarium eſſe
putas: ita ut inter magnam inediam, & nimiam
colationem (quam aiunt) media exigui cibi atq;
neceſſarij potus eligatur uia, ſiti uerò quando-
cunque urget ſuccurre: malum autẽ eſt illos imi-
tari, qui plus uno ientaculo aromatũ ueſperi co-
medunt, quàm unus pauper in prandio bis man-
ducare poſſet, quorum nomina ſic ieiunantium,
illorum præſertim qui columnæ Eccleſiæ noſtrę
eſſe deberent, honeſtatis cauſa taceo. Sciant tamẽ
omnes, quòd ſi qui in menſura cibi ipſius ienta-
culi errarent, aut non aduertentes, aut putantes

tanto egere quantum manducant, quia impotētiæ absque dolo innituntur, minimè mortaliter eos peccare, modò hac excusatione cœnare nō eligant. Nec latere te uolo, posse cum dispensatione Episcopi, serotinum ientaculum post horam nonam comedere, ne ultra horam illam affligaris: & uesperi cœnare. hoc enim eligere multi solent, ut tota die orationi, lectioni, diuinis, ac uirtutibus aptius possint uacare. Habes itaque quale ieiunium tuū esse debeat. Superest ut cogites magnæ uirtutis, & solicitæ diligentiæ esse, superare quod nata sis, & in carne manens, non carnaliter uiuere:* magni quoque & prę mij, signíq; salutis æternæ, quandoquidem ieiunio, fideles ab infidelibus discernuntur:* infidelibus inquā, qui non animaduertunt quadragenariū ieiuniū decimam esse, quam Deo pro toto anno soluere obligamur.* DIA. Quo in angulo quatuor temporum ieiunium relinquis? CAM. Hebræa cōsuetudine ut ter ieiunaremus, introductū fuit:* deinde uerò à consuetudine Ecclesiæ nostræ innouatum & in melius transformatum,* quò his quatuor temporibus, quatuor tempora anni, cardines item mundi quatuor, & elemēta quatuor, Christo in quatuor Euangeliis contento, seruire intelligamus.*

¶ *Quatuor temporum ieiunia.*

Hiero. in regu. mona. in rub. de absti. philo.

Chryso. super Gene. hom. 1.

De con. di. 5. c. Quadragesima.

76. dist. c. huius. §. fi.

Vt sup. c. ieiunium.

Vt sup. c. Huius.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Tres causæ à ieiunio nos excusant, propter quas cũ cõsilio utriusque medici Ecclesia dispẽsat, impotentia nimirum, necessitas, & pietas melioris boni.

DIANA. CAMERARIVS.

PLaceat personas numerare, quæ à ieiunio excusantur. C A. Ne quæso à me id exigere uelis, præsertim cum fermè nullus sit ieiunij liber, in quo isthæc legere non possis. D I A. Idcirco tu quoque idipsum agere debes, ne tua hæc disputatio manca uideatur. C A M. Scire principiò debes, quibusdam ualdè molestam ieiunij esse diẽ, quibusdam uerò iucundissimam: * tristẽ nimirũ illis, qui pœnæ timore cum Hebræis ieiunant: iucundam uerò illis qui charitate referti, propter Deum ieiunant. Hi quidem & corpore cum Daniele roborantur, eorúmque anima de die in diẽ renouatur. * fœlicésque hos dies ad philosophãdum, sacrámque scripturam contemplãdum hi esse putant, qui minimè ieiunium, immò potius crapulam, atque ebrietatem timent: * pœnas nãque dant secundum carnem, sed spiritu gaudent: quandoquidem si caro in ieiunij die dolet, anima epulatur, cùm unà & à cibis & à peccatis, immò à peccatis prius ieiunant. * D I A. Rectè, modò corpora robusta sint. C A M. Tam ægrotis, quàm robustis ieiunare conducit: robustis scilicet, ut anima ægrota curetur: infirmis uerò, ut corpus &

*Chrysost. Matth. 9. hom. 31. co. 5

*Chryso. in hom. de Iona propheta, tom. 1. col. fi.

* Chrysost. serm. 1. in Gen. ex collectis sermonibus, hom. 1. de pœnit. tom. 5.

*Chryso. de ieiunio. ser. 1

¶ Quibusdã ieiunium dulce est, quibusdam amarũ.

anima fide & ieiunio ſanetur.* DIA. Illos propo- *Chry. ho. 5. ſup. Matth. 17.
namus, qui ieiunium ferre non poſſunt. CAM.
Iam uidiſti non huic uel illi Eccleſiam ieiunium
præcepiſſe, ſed in communi, ut Eccleſia ieiunet.
DIA. Vidi. CAM. commune ergo præceptum
hoc erit, neminem excuſans qui ieiunare poteſt.
DIA. Nónne quoſdam Eccleſia excipit caſus, in
quibus à ieiunio multos liberat? CAM. Tres cau
ſæ ſunt, propter quas à ieiunio Chriſti fideles ex-
cuſantur. Impotentia nimirum, neceſſitas, & pie-
tas melioris boni, quas ſigillatim explicabo. DIA.
¶ *Impotētes ieiunare non obligantur.* Quos IMPOTENTIA excuſat? CA. Pueros
¶ *Pueri.* creſcentes, qui propterea luſtris quatuor integris
excuſantur, quia ut plurimũ ad tẽpus illud uſque
creſcunt. DIA. Audiui in Aegypto patres no-
ſtros elegiſſe, ut pueri quoque ieiunarent. CAM.
Aliud eſt ſponte patres id agere, in Deum fiden-
tes, quòd filij pinguiores cũ Daniele, Sirach, Mi-
ſach, Abdenago euadant: aliud lege ad id facien-
dum obligari. nam & hoc ſeculo noſtro non ſo-
lùm inter monachos qui fortiores ieiunio fiũt,* *Hierony. in Pſal. 108. ibi genua mea.*
uerùm etiam in domibus Laicorũ, eãdem ieiu-
nij obſeruantiam in ipſis iunioribus paſſim ui-
¶ *Senes.* demus. Excuſantur & ſenes. DIA. Quos tu ſenes
uocas? CAM. Sexagenarios. DIA. Cur non ſe-
ptuagenarios? CAM. Quia labor & dolor: * ſe- **Pſal. 89.*
xaginta uerò communiter medium tenent, uſq;
ad quod tempus Eccleſiæ præceptum perrexit, ut
robuſta hominis natura ieiunaret: quo fit, ut quã-
docunque

docunque constet longè ante alicuius naturam debilem sic esse, ut non possit ieiunare: lex ieiunij ex mente limitetur, ut non ultra ieiunet.* Siquidem non tempus, sed ieiunandi potentiam lex considerauit. Contra uerò ex eadem mente, sexaginta anni senem, luxuriosum atque robustum, à ieiunio haudquaquam excusant, quominus Ecclesiæ medicina hac, ad propriæ animæ salutem utatur. Proinde & infirmi omnes siue nō possint, siue eis non expediat, minimè ieiunare debent. Sic enim legem ieiunij canon Apostolorum limitat.* Sic Ecclesia quoque statuit ac seruat.* DIA. Quis dispensator tunc erit, num infirmus ipse? CAM. In eo qui ieiunare nō potest, primus iudex ipse infirmus est, qui poterit suas infirmitates medico insinuare, ut secundus iudex sit. Tertius summus pontifex, uel Episcopus, qui adhibito consilio utriusque medici dispensare solent: aut ubi copia horum non detur, Curatus: quibus contemptis, à ieiunio infirmitas nō excusat. Circa quæ tum Episcopos, tum medicos hortor, ut nolint sicut passim fit, adeò liberaliter infirmo frāgendi ieiunium facultatem dare: sed octaui Toletani concilij decretum seruent, cuius uerba hęc sunt. Ex hoc adeò acerrimè interdicitur: ut quisquis sine ineuitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti langore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit resurre-

*Conci. Tolet. 8.

¶ Infirmi.

*Can. 68.
*Ex. de obser, ieiu. c. Cōsilium.

¶ Quis dispēsare debeat quando aliqui ieiunare non possunt.

¶ Nō passim & temere dispensandū.

ctionis dominicę, uerùm etiam alienus ab eiusdẽ diei sancta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore, ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentię oblitus est disciplinam. D I A. Satis dura pœnitentia. C A M. Modica illis, qui in contẽptum Ecclesiæ, hæreticis hærendo, ieiunare contemnunt. D I A. Aliter ergo dicendum erit, quãdo utriusque medici dispensatio cum superioris authoritate adest. C A M. Omnino: sed quæ prudentia utriusque medici est, ut otioso podagrico iuueni carnes dent? cur non potius panem & uinum optimè linfatum, atq; olera pauca absque piscibus, quibus podagra Hieronymo teste sanatur? * carnes uerò raro, ut pro sola sustentatione illas comedere possit, & tunc sobriè, præter quàm si infirmi debilitas maiori egeat cibo, aut cætera obsint? D I A. Quid si neque Medicus, neque Papa, neque Episcopus, neque Parochus adsint? C A M. Tunc enim quia omnis inobediẽtia cessat, unusquisque sibi ipsi iudex esse potest. D I A. Quid econtrariò, si medici exteriores comedere carnes iubeãt, infirmus uerò scrupulo cõscientiæ mordeatur, ut timeat se peccare? C A M. Non solùm non peccare illũ puto, qui utriusque medici consilio paret, immò potius, ut malè agat si non paret: etsi medicus ipse infirmus sit, * quoniã immoderatam medicinam proximo aut sibiipsi dare non debet: & immoderata an sit uel sufficiens,

De con. di. 5. c. Legimus

¶ *Infirmus, qui dispensatione uti non uult, peccat.*

Tho. 4. sen. di. 17. q. 3. ar. 3. q. 4. quartũ in fi.

medici

medici eſt iudicare, qui peritus eſt in arte. D I A. Nónne in præcedentibus authoritate Ambroſij dixiſti, quòd ſi ter ieiunauero in hebdomada, ieiunia illa nil proſunt, immò deperdita cẽſentur? C A M. Dixi. D I A. Caietanum deinde legi, qui aliter ſentiendo ſequentia uerba ſcripſit: Ieiunãtes ter in hebdomada in Quadrageſima, audiẽtes à doctis ſtultis, ꝙ qui unum diem nõ ſeruat, reus eſt totius Quadrageſimæ, & amittant illorum trium dierum ieiunium in damnationem utrorumque. Si enim cæcus cęcum duxerit, ambo in foueã cadũt. Satisfecit enim Eccleſiæ præcepto, qui impotentem ſe putans, ad ieiunium quadrageſimę, alternis diebus ieiunat, aut bis aut ſemel in hebdomada, prout uires eius poterunt ferre. C A M. Aut quæris, an quiſpiam abſq; Epiſcopi licentia, ubi haberi poteſt, ſibiipſi uelit tẽpus ieiunij in Quadrageſima hoc modo præſcribere, ut alternatis uel hebdomadibus uel diebus ieiunet, itaque præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat, & tunc deperditi ſunt dies illi (ſecundum Ambroſium) quantum ſcilicet ad hoc attinet, ut ieiuniũ Eccleſiæ, quod indiuiduũ eſt, ſe impleuiſſe putet: ſiquidem iuris ignorãtia neminem excuſat, tametſi credulitate ſua erret. * Aut quæris, an cũ impotente diſpenſandum ſit, ut ſi non poteſt totam Quadrageſimã, partem ſaltem pro tota ieiunet, & ſi de impotentia conſtiterit, diſpenſatio ei pro toto ieiunio cõceſſa, qui aliud pręſtare nõ

Marginal notes:

¶ *Quid ſi aliquis nõ poſſit integrum Quadrageſimæ ieiuniũ ſeruare, an tunc ſi cũ eo, ut aliquibus diebus ieiunet, diſpenſetur, quadragenariũ ieiuniũ hoc modo ſeruet.*

¶ *Caietani opinio.*

**1.2.q.76.*

potuit, omnino bona eſt, & ualet: quia hoc modo ſe ſatisfeciſſe rectè putat. Itaq; Caietanum dicere uoluiſſe autumo, ſiquidem de hac diſpenſatione principio egerat: quaſi cæci ſint illi, q hoc modo reſpondeãt, Nolumus diſpenſare, quia ieiunium diuidi non poteſt: ſi uerò aliter Caietanus ſentiret, ipſum potius quàm Ambroſium in hoc cęcum eſſe dicam, præſertim cũ in octauo Concilio Toletano quæſtio hæc determinetur, cuius uerba hæc ſunt: Illi uerò, quos aut ætas incuruat, aut lãguor extenuat, aut neceſſitas arctat, non antè prohibita uiolare pręſumant, quã à ſacerdote permiſſum percipiant. Aut quęris, an ieiunium illud abſque licentia ſic deinde factũ, pro ieiunio particulari contritum cor habenti proſit, cum aliter agere non poſſe putat, & cum Caietano dicam ualere. Siquidem pœnitendo, quòd Quadrageſimam non ieiunauit, cùm fregiſſe ſemel conſtat, nec bis fractionis illius ieiunij reus eſſe poſſit, bonum opus deinde in altero particulari ieiunio, pœnitens operatus fuit. Valet quoque, ne omni die in Quadrageſima peccet: quotiens in unoquoque die non ieiunat, quandoquidem etſi contra præceptum indiuidui ieiunij non faciat, quod ſemel fractum impleri non poteſt, contrauenit ſaltem, quia hoc uel illo die ſecundum præceptũ non ieiunat. Excipio tamen cum Caietano illũ qui in uno die ſæpe comedit, ut non propterea ſæpe

¶ Canon Concilij.

¶ Sæpe in die comedẽdo ſemel ieiuniũ frãgit.

ſæpe peccet, quia ſic unicum peccatũ fractionis ieiunij eſt, ſicut pluries oſculãdo fœminam, unico complexu unicum peccatum reputatur. Habes igitur caſus aliquot, quando impotentia excuſet, per quos cæteros decidere poteris.

CAPITIS OCTAVI § PRIMVS.

Secunda cauſa neceßitatis, ob quam ne ieiunemus Eccleſia diſpenſat.

CAMERARIVS. DIANA.

OB neceſſitatem quoq; pauperem illum ieiunare Eccleſia nõ aſtringit, qui oſtiatim eleemoſynã petit, nec poteſt tantùm colligere ut ſemel manducet, atque manducando ſaturetur: quis enim pauperi herbas crudas, & illas non ſatis bonas perſæpè comedenti, ne ſaturetur, inhibere audebit? hoc unum audacter aſſeuero, ut nõ modò ſæpe comedere, ſed ſi adeò debilitatus ſit, ut omnino egeat cibo, & nullus cibus quadrageſimalis adeſſet, carne in hac neceſſitate ueſci poſſit: * quinimmò & aliud addo, quippe ut ſi ob conſcientiæ ſcrupulum comedere non auderet, oratione præhabita, & cum gratiarum actione is qui domi præeſt, abſq; ieiunij fractione, poſſit aliquid ſecum propter charitatẽ manducare, ut alter peregrinus pauper propriæ debilitati ſuccurrat. Sic Spiridionis uiri ſanctiſſimi exemplum nos docet, quod ſuprà enarraui. * Et

¶ Pauper oſtiatim cibũ quæritans, quando à ieiunio excuſetur.

¶ Carnes, qui aliud nõ habẽt comedant.

¶ Quando abſque peccato, propter proximum, robuſto liceat ieiuniũ frangere.

** Ex. de obſer. ieiu. ca. Conſilium.*

** Suprà c. 6. §. quinto.*

rectè quoniã ſicut malum eſt homini qui per offendiculum manducat (Auguſtinus inquit:) Ita malum eſt homini qui per offenſionẽ ieiunat.* Sic enim diuus Frãciſcus abſque ieiunij fractione cum eſuriente comedit. Etenim ſi rurſum aliquem etiam non mendicãtem (pauperẽ tamen) proponamus, qui non poſſit cibum aliter acquirere, niſi proprio ſudore illum ſibi quęritet, & laborem talem eſſe, qui unico pabulo ſuſtineri nõ poſſit: tũc propter neceſſitatem licebit ei pluries comedere, ne cibo omnino careat. Itidem ſi filias & filios habeat, quos nõ aliter quàm ſuo exacto labore tam domi quàm in ſtudio enutrire, maritare, ueſtireq; poſſit: ut tam ob neceſſitatem naturæ, qua filios alere obligatur: quàm ob pietatem paternam, & melioris boni, ſatius eſſe iudico, ut iſthæc agat potius quàm ieiunet. ſic enim piſcantes halecas & cætera eiuſmodi qualitatis, per quæ cibũ pro toto uel maiori parte anni, aut quoquo tempore aſſequuntur, in quo aliter uiuere cum ſua familia non poſſent, ueniam facilè impetrant, ut tempore illo minimè ieiunẽt: tum quia eadẽ cibi neceſſitas in eorũ perſonis adeſt, tum quia communis neceſſitas concurrit, ut aptioribus diebus illis ad piſcandum halecas non ieiunent. Sic enim imperator cùm dixiſſet: Omnes iudices urbanæque plebes, & cunctarum artium officia, uenerabili die Solis quieſcãt. Ruri tamen poſiti, agrorum culturæ, liberè licenterq; inſer

Augu. epiſt. 86. col. II.

¶ *Excuſantur, qui ſudore uictum quæritant, nec ſemel comedendo uictũ quærere poßunt.*

¶ *Excuſantur, qui filios & filias proprio ſudore enutrire obligantur.*

¶ *Piſcatores halecarũ, qui aliter uiuere non poſſunt.*

inſeruiant, quoniam frequenter euenit, ut non aptiùs alio die fruméta ſulcis & uineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cœleſti prouiſione conceſſa.*Neceſſitas ergo urget, ut talis ſit, quæ omnino ipſum à ieiunio excuſet. atque hinc animaduertant prælati, quando cum itinerantibus diſpenſant, ut principiò an iter omninò neceſſarium ſit, expendant: ne fortè is qui diues eſt, auaritię cauſa, & non ob neceſſitatem pedes iter facere eligat, cui minimè diſpenſandum eſt: ubi uerò neceſſitas adeſt, ſiue ut mercaturam de qua uiuit exerceat, ſiue alia, pēſandum eſt, an equo iſte homo pergat, uel pedes: quoniā in habente equum, neceſſitatem nō uideo, ut cum unico cibo magno, & ientaculo uno, cōmodè nō poſſit iter agere: præſertim ubi cum licentia Epiſcopi obtineret, ut prādium in cœnam, & ientaculum in prādium poſt horam nonam conuerti poſſit, maximè quādo iter breue eſſet. In eo autem homine qui pedes neceſſitate ductus incedit, ubi adeò modicum iter non eſſet, quod ieiunādo perfici poſſit, facilius diſpēſarem. Vnuſquiſque tamen ſuam neceſſitatē aduertat, cui lex ieiunij impoſita nequaquam eſt,* & ſic obtenta diſpenſatione edat, ne cibo iudiciū ſibi manducet: quandoquidem poterit pinguius ientaculum ſerotinum ſumere, & tātum comedere, quātum ei neceſſarium eſſe duxerit, ut uſq; ad horā nonam ſequentis diei prādium differre

*L. Omnes. C. de feriis.

¶Quando cum itinerātibus ſit diſpēſandum.

*Ex. de obſer. ieiu c. Conſilium.

possit. Eadem quoq; naturæ necessitas & pietas simul, ut mater filium in uentre pascat, enixáque lactet, à ieiunio excusat. DIA. Age quæso, ut nullum prætereas casum, in quo ob necessitatem Ecclesia dispensat. CAM. Laboriosum potius quã utile hoc esset: satis quidẽ scire erit, omne quod necessarium ad salutem, tum corporis, tum animæ uel ad statum temporalem est, hãc posse ab Ecclesia dispensationem impetrare.

¶ *Muliere enixa.*

¶ *Regula dispensandi in necessitate*

CAPITIS OCTAVI § TERTIVS.

Dispensat quoque Ecclesia *ob pietatem, ratione melioris boni, quæ tertia causa est.*

CAMERARIVS DIANA.

Adest & tertia causa PIETATIS, quando uel sibi uel alteri, maioris boni, ipso ieiunij bono causa esse potest, quod cum ieiunij prætermissione agit. DIA. Da exemplum. CAM. Pone enim concionantem cogi bis in die concionari, uel fortasse semel, nec posse ob complexionis debilitatem, præsertim si illius memoria debilis sit, qua in ipso sermone opus habet: nónne satius erit, ut charitate refertus bis comedẽdo pietatem in hoc maiori bono proximi exerceat, quàm ieiunare? DIA. Omnino. CAM. Finge rursum aliquem sacerdotem multorũ oportere audire confessiones, eiúsque memoriam labilem esse, ut simul legat horas, & tot pœnitentes audiat, quot audire

¶ *Concionator.*

audire tenetur, nónne ſatius erit ieiunium præ-
termittere? D I A. Maximè, quoniã ſcriptum eſt:
Corporalis exercitatio ad modicũ utilis eſt, pie-
tas autem ad omnia ualet. C A M. Pietas igitur
urget, ut pietatis animum habeat, non autem o-
pus quod ſine pietate fit. D I A. Quid iſtud? C A.
Finge concionatorem aliquem nõ propter pie- *¶Hi qui quæſtus cauſa ſpiritual.a miniſtrant.*
tatẽ, ſed idcirco bis cõcionari, aut ſemel, ut pecu
nias acquirat: itidẽ & confeſſiones audire: num
diſpenſandũ cũ illo erit? certè nõ, quia pietas ab-
eſt. D I A. Negas tu pro pecunia quẽquã concio-
nari poſſe? C A M. Omnino. D I A. Subſiſte pau-
lulũ obſecro, quoniã etſi in perſonis priorũ, qui-
bus nihil in eorũ monaſteriis deeſt: doctorũ itẽ,
quibus uel ab Eccleſia uel à labore legendi, uel à
beneficiis cibus & ueſtes ſuppeditantur, hæc tua
ſentẽtia uera eſſe poſſit: Apoſtolo dicẽte: Victu
1. Tim. 6. & indumentis his cõtenti ſumus. Adſunt tamen
multi iuuenes literis operam nauantes, qui pie-
tatis cauſa, & ut neceſſarium uictum ueſtimen-
táque quæritent, ad concionandum accedunt.
C A M. Non quidem meum officiũ eſt alios re-
prehendere, aut dyſcolos reformare. D I A. Expe-
dit certè, poſtquam ſcribere cœpiſti, ut quid ſen-
tis, in medium afferas. C A M. Hos ego minimè
damno, qui laborando in ſacris, quod ſibi datur,
iuſtè acquirunt. Siquidem ſcriptum eſt: Qui al-
1. Cor. 9. tari ſeruit, de altari uiuere debet: ſed illos exclu-
dendos omnino cenſeo, qui minimè dextrum

non

oculum, ſed ſiniſtrũ ad pietatem habent, præſertim quando abſque pecunia non prædicarent: ita ut quaſi ſimoniacè concionentur, dum finis prædicationis ipſa pecunia eſt, quam perſæpè pacto expreſſo antequam eant, ſibi dari paciſcuntur. Hos planè à ieiunio nũquam excuſabo, immò potius ipſos leproſos factos prædicabo: * præſertim quando non ſolùm pro uictu quotidiano ſecundum refectorij morem, acquirendo hos labores ſuſtinent, ſed ut uentrem replere comeſſationibus potius quàm neceſſitati ſuccurrere queant. Illíne cõcionatori ieiunium frangere permittam, qui quatuor caſtris ſe concionaturum ſpopõdit, ut accepto pretio tres ſubroget, & in quarto ipſe uerbũ ꝓmiſſum impleat? Nónne diligens mercator ſimoniacus hic potius habẽdus erit? quis eorum nõ miſereatur, ut paupertatis uice quam uouerunt, iniuſtam mercaturã elegerint. DIA. Quid ſi ſimonia, uel affectus illius ceſſet, nec finis ultimus ad pecuniam ſit: quanquam in mente pretium habeant, unde uiuere poſſint? CAM. Non me, ſed Auguſtinum audiant, cuius uerba hæc ſunt: O Sacerdotes, hoc quod dicitis, omnino negare non audeo, ut qui altari ſeruit, de altari uiuat: ſed ſciatis quòd Deus intuetur corda hominum. nam ſi ſacramentum dare diſtuleris, ſiue paſtor, ſiue ſimplex ſacerdos ſis, etiam ſi fueris omni paupertate uallatus, non paſtor es, non miniſter Chriſti es, ſed mercator:

*4. Reg. c. 5. & Aug. ad fra. in ere. ſerm. 37.

non igitur petas, non etiã tantum pro baptiſmo recipias, ſi cum Simone perire nõ uelis: nam facto pacto, ſacramentũ uendidiſti, & ſaluatorem tuum cum Iuda prodidiſti.* DIA. Pactum & dilationem, nõ autem cogitationem Auguſtinus excludit. CAM. Confeſtim eodẽ in loco ſequẽtia uerba Auguſtinus ſubiungit: Spontanea & ſincera uoluntate porrige ſacramenta, nihil petendo, nihil expectando, nihil de promiſſo deſiderando: ſed ſi tibi datur, iuſtè recipis, iuſtè poſſidere potes, quoniam non licet ſacerdoti manibus propriis operari. * Sic enim & Apoſtoli ueſtes cibum & uiaticum iuſtè recipiebant. * Hæc ſacerdotes expẽdant ſeruẽtque, ne prædicationis aut cæterorum meritum perdant, ſimul & ieiunium frangant, quia ceſſante diſpenſandi cauſa ipſa diſpenſatio ceſſat. DIA. Cur adeò aduerſarius pauperrimis concionatoribus, ſacrúmque celebrãtibus fuiſti? CAM. Quoniam fide, ſpe, & charitate carent, qui talem uitam ducunt. DI. Habent certè, ſed quod in illis eſt, agunt ut uiuant. CAM. Atqui Chriſtum interim negant, qui ait, Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim gentes inquirũt: Scit enim pater ueſter, quia his omnibus indigetis: quærite ergo priùs regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. DI. Hac ratione à Deo uictum ſeſe accipere arbitrantur. CAM.

*Aug. ad fra. in ere. ſer. 37.

*Augu. in di. ſerm. 37. ad fra. in ere.
*1. Cor. 9.

Minimè ſpem in Chriſtum, cui ſeruiunt, habent, hi qui ſacra pecuniâ celebrantes, quotidie dicunt: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & illud ſibi iuſto modo dari non ſperant: neque charitatem ſectantur hi, qui ex ſacerdotibus mercatores fiunt.* DIA. Multos à ſtudendi officio hac tua auſteritate abduces. CAM. Cur intra ſeipſos cum Daniele aliquando hi, qui tales ſunt, non dicunt: Tentemus noſipſos diebus decem ob ſolam charitatem ſacra miniſtrãdo: credentes in Deum, quod ipſe promiſſa omnia ſeruabit, ut prouidentiã boni Dei experiãtur? non autem dicant, quærẽda pecunia prius, mendacem Ieſum facientes, qui domos & omnia neceſſaria ſeruis ſuis promiſit, qui cætera relinquerent ut Chriſtum ſequantur. Ille nanq; eſt, qui diſcipulis ſuis dixit, Nónne miſi uos ſine ſacculo & pera, nunquid aliquid defuit uobis?* & Petrum piſcari docuit in nomine ſuo, ut qui prius piſces non ceperat, relaxato rete in nomine Ieſu illud plenum piſcibus traheret?* Num illos ſacerdotes, aut Italos, aut cæterarum prouinciarum ieiunare dicam, qui ſi non acceperint quoddam ſtatutum pretium extra Eccleſiam celebrare non uadunt, in Eccleſia uerò pro minori? Illos item, qui cum aliqui miſſam audire prope duodecimã horam optant, interrogati an miſſam audire poſſint, reſpondẽt non abſque pretio fieri poſſe? itidem & cum ad ſepeliendũ mortuum

*Aug. in loco citato.

Luc. 22.

*Luc. 5.

tuũ uocantur, & ſi pauper ſit, nolint abſque pretio accedere, quibus dicere poterimus, Vóſne Tobiam imitamini. Ecce tempus iam eſſe cœpit, in quo abundat iniquitas, & charitas ultra conſuetũ modũ refrigeſcit. Iſthæc ſi qui tales ſunt, obſeruent, quæſo, nec ſibi ipſis blandiantur, eã fingentes in ſe pietatem ineſſe qua carent, quoniã Deus non irridetur, tarditatémque ſupplicij grauitate cõpenſat. Dixerim pauca hæc, ut tibi ueritate comite ſatisfaciam, non autem quod cenſor aliorum eſſe uelim. Nec propterea ſcandalizeris, quòd pauci mali inter multos bonos adſint: ſic enim inter Apoſtolos unus Iudas, & in omni Eccleſia omni tempore contigiſſe legimus, ut aliqui mali inter multos bonos affuerint. Sat innumeros optimos religioſos nos habere, qui tãquã zizania paucos cõtendũt. Excuſantur quoq; à ieiunãdo hi, qui peregrinantur ad loca ſancta, quãdo ſcilicet idcirco neceſſariũ iter iudicatur, propter maius peregrinãtis bonũ, utpote ſi pietas illius hoc modo augetur, aut magnitudo perſonæ exẽplũ cæteris præbet, ut ſanctos uenerari diſcãt: quẽadmodum optimus Rex noſter Chriſtianiſſimus Hẽricus fecit, quando in anno 1552. templũ diuæ Mariæ tanquam peregrinus, pedes ambulãdo uiſitauit. Et deniq; ubicũque aliquid occurrerit, Prælatũ audire debes, cuius determinare eſt, nõ autẽ cõſiliũ dũtaxat dare, an ieiunãdum ſit, nécne: exempli gratia, ut quando uigilia

¶ *Peregrinãtes excuſantur.*

¶ *Prælatum perpetuò diſpẽſare, non autem cõſulere dũtaxat oportet.*

unius festi, habet festum quod præcedit, an tunc ieiunium utrũque festum præcedere debeat, siue festum uniuersalis Ecclesię sit, siue loci illius, nimirum dedicationis alicuius Ecclesiæ, uel patroni unius ciuitatis. DIA. Quæ uita illorum esse debet, qui dispensationem non ieiunandi obtinuerunt? CAM. Ne putent qui à ieiunio absoluuntur, in luxurias epularum, & temulenta cõuiuia, atque nequissimas ebrietates ieiuniũ conuertere posse: quasi non ieiunare hoc sit, nimirũ inebriari*. Sobriè igitur comedendum est, ut qui propter necessitatem uel pietatem à ieiunio excipiuntur, bis sobriè pisces & cętera, quæ ieiunij tempore comedenda sunt, manducent: qui uerò propter infirmitatẽ liberi sunt, ea comedant quæ morbo necessaria uidentur. Siquidem medicus quibusdam carnes, quibusdam oua dat, quibusdam pro toto ieiunio, quibusdam pro certis diebus ueniã impartitur, non ut uorent, sed ut quãtum necessarium est, manducent: non autem delicatos quærant cibos infirmitati contrarios. Miniméque cum carnes comederint, ad pisces ieiunantium, qui eadem in mensa comedũt, manus porrigant, sicut facere consuescunt. Et si fieri poterit, adeò parcè comedant eos commoneo, ut à ieiunio non excludantur: quoniam ei seruimus qui corda intuetur, & scit etiam cũ carnibus necessitate urgente nos posse ieiunare, sicut Spiridion fecit.* Meminerint tamẽ quotquot hi sunt qui

¶Quam uitam ducere hi debeãt, cũ quibus dispẽsatum est.

*August. epist. 86.

*sup. c. 6. §. 5.

qui diſpenſationē obtinēt, eleemoſynis ſupplendum eſſe, quod ieiunio pręſtari non poteſt: ut illis manducantibus, eſurientem recreent, itaque cibus, cibum meritorium reddat. Et poſt omnia illos ne ieiunium frangant excuſabo, qui propter ignorantiam excuſabilem non ieiunant: cū putantes ieiunij diem non eſſe (& minimè de illis uniuerſalibus erat, quę Eccleſia præcipit, quæ omnibus nota eſſe debent) carnes comedāt: modò confeſtim ubi ſciuerint, à comedendo uetita abſtineant. Illos prætere a econtrariò cum Auguſtino condemnabo, qui cùm ieiunare nō poſſunt, non ſolùm ſecreto carnes ſoli non comedunt, uerùm etiam alios qui ieiunare poſſunt, ad prandium inuitant: diſpēſatio quidem eſt, qua ſolus uel cū altero infirmo uti debet. Hæc de ipſo ieiunio, quæ frequentius accidere ſolent, enarraſſe ſufficiat, cæteris dimiſſis quæ in patrum noſtrorum codicibus ſtudioſi iuuenes legere poterunt, ut nil eos in hac ieiunij doctrina prætereat, qua carnem domare inſtruuntur.

¶ Quando illi excuſantur, qui ignorantes diem ieiunij eſſe, carnes comedunt.

¶ Qui alios ad comedēdum carnes inuitant.

DIALOGI DE ORATIONE

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit attenta oratione in ſpiritu & ueritate orare.

DIANA. CAMERARIVS.



¶ Oratio quid.

SVpereſt modo ut de ipſa oratione agamus. CAM. Diu eſt quòd noſti, nil aliud orationẽ noſtram eſſe, quàm aſcenſum mentis in Deum: *cui noſmetipſos orando tradimus, atque proprias animas ipſi per charitatem unientes, deſideria noſtra tanquam patri & Domino inſinuamus. *DIA. Magnũ certè donum ipſam orationẽ eſſe in aperto cerno, quæ ſi qua optamus (modo rationi congruãt, atque nobis expediãt) impetrare poteſt: & nos Deo ſimul coniungere. CAM. Non omnis oratio iſthuc agit, ſed illa dũtaxat quæ fit in ſpiritu & ueritate.* DIA. Quid propriè eſt in ſpiritu & ueritate orare? CA. Meminiſti quãdo Paulus dixit: Si orẽ lingua, mẽs mea ſine fructu eſt? DIA. In memoria habeo. CA. Pendis præterea quid Paulus per hæc uerba nos docere uelit? DIA. Expecto quid dicas. CAM. Quid Paulus ſenſerit, ſatis uerba ipſa cõmonſtrant: nẽpe ut oratio noſtra triplici ratione attẽta eſſe debeat, prima nimirũ, ut in ſpiritu eleuati, ſic cõiungamur Deo, ut unus ſpiritus per charitatem cum eo ſimus. Altera ut oratio ipſa,

*Dama.

*Diony. de diuin. nom. c. 4.

¶ Oratio in ſpiritu & ueritate.

Ioan. 4.

¶ Rationes propter quas oratio debeat eſſe attenta.

id

id impetret quod optamus:ne fortè diuinũ auxilium remiſſe implorando, mentéque huc uel illuc uagi deambulãtes,Deum potius irritemus: * ut uel ſerpentem pro piſce donet, uel nos orãtes nequaquã malè petendo,exaudiat, quemadmodum Iacobus nos arguẽs dicebat:Petitis, & non accipitis,eo quòd malè petitis.* ſobriè tamen intelligendum hoc erit: quippe ut ſatis ſit, quod principio orationis,mente in Deum eleuata incipiamus orare:tametſi in medio orationis,quales quales mẽtis euagationes præter propoſitum patiamur.*à quibus propter hominis fragilitatẽ, quæ diu animam in alto ſtare non ſinit,neq; ſancti uiri immunes eſſe potuerunt. Sic enim de ſeipſo Dauid teſtatur,inquiens:Cor meum dereliquit me. * Quocirca cum cernis te mente uagari,e ueſtigiò te ipſam cohibere debes,ut mẽte ores:ne ex propoſito deſinas mente orare. Hoc enim faciens Deum ignoſciturũ ne dubites,quãdo ex fragilitate ſicut decet, non poſſis aſſiſtere coram eo. * Et tertia,ut intereadũ oramus,rapti in Deum, quãdam ſpiritualem mentis refectionem orando ſentiamus:quam te charitate refertam,perſæpè prægustaſſe certo ſcio. DIA. Nemo plane ſani capitis homo erit:qui ſciens ſe cũ Deo donec orat loqui, ab hac tua ſentẽtia diſcedere poſſit. cùm Deus ille ſit,qui hominum corda ſcrutatur: proindéque aliud in corde uerſari q̃ ore proferatur, ſatis imbecille foret. Hinc cer-

*Baſil.in epi. ad S. Grego.
*Iaco.c.4.
*Baſi.ut ſup.
*Pſal 39.
*Baſi.ut ſup.

tè prouenit, ut tametsi omnes ora aperientes orent, pauci tamen in conspectu Dei preces effundant: coram quo is orat, qui undequaq; suã mentem colligens, nihil quod orationem impediat, habet cum terra commercij.* C A M. His hunc in modum expensis, facile nunc intelliges, quid sit orare in spiritu & ueritate. quandoquidẽ ueritas Christus est,* in ueraci ecclesia, cum mẽbris suis, non autem extra eam manens: unde prouenit, ut quicunq; in Christiana catholica ecclesia positus est, is dignus accipere Spiritum sanctum dicatur, qui ecclesiæ per Christum est donatus à Deo: ut ab eodem Spiritu sancto ductus, homo ipse fidelis, in spiritu dicat, Abba pater,* quod est in spiritu qui nobiscum manet, & ueritate, hoc est in Christo orare.* In ueritate pręterea, hoc est secundum catholicæ ecclesiæ fidem, ubi ueritas manet, ipsum confitendo orare. * Sic enim neq; aliter unus spiritus cũ Deo sumus: qui ignorantibus nobis quid oremus, infirmitatem nostram adiuuat, ut gemitibus inenarrabilibus postulare sanctos faciat, ea quæ secundum Deum sunt.* à quo nil petere debemus, quod suam non deceat maiestatem. * D I A. Quo nam modo certa esse potero dum oro, in spiritu & ueritate me orare? C A M. Nónne cùm genuflexa manus extendis, pectus aperis, faciem ad cœlum erigis, oculósq; attollis, totam te Domino creatori ostẽdis? cuius ope, ea fide quæ per charitatem operatur uitam

ducens,

*Chrysost. in hom. de fide Annæ. to. I.

*Ioan. 14. a.

*Rom. 8.

*Chrysost. in hom. additis super Ioã. hom. 4. Augu. Psal. 130. col. I.

*Rom. 8.

*Damas.

¶ *Quomodo cognosci possit, quod quis oret in spiritu & ueritate.*

ducẽs, hiſce hominibus qui uerè in ſpiritu et ueritate orant, te eſſe copulatam conijcere potes? * DIAN. Sola ergo fide, in ſpiritu ac ueritate oramus? CA. Quanquam charitate, quæ per ſpiritum ſanctum abundè diffunditur in hominum corda, & ſpe quoque ab ea orta, quæ non cõfundit, in ſpiritu & ueritate unuſquiſque oret: fide adhuc orare, tum ea ratione dicetur, quoniã niſi crederet, non oraret, (Auguſtinus inquit) * immò & orãdo haudquaquam acciperẽt, Domino dicẽte, Credite quod accipietis, & eueniet uobis: * tum etiã quia abſq; fide, quæ ueritatẽ Chriſtũ in eccleſia exiſtẽtem cognoſcit, neque ſpes, neque charitas conſtare poſſent. * DIA. Si quis ergo ſic animo affectus non ſit, ut in ſpiritu & ueritate oret, fruſtra orabit? CA. Fruſtra, ſi oratio ꝓpriis meritis, nõ autẽ in Chriſti paſſione roboratis innitatur, Ioãne dicẽte, Scimus ꝗa peccatores Deus nõ exaudit. * non autem quãdo ſolã miſericordiam quæreret: quemadmodum Publicano contigiſſe legimus, qui à ſpiritu Dei motus pectus proprium percutiens, iuſtificatus deſcẽdit, * atq; latroni in ſua impietate dicenti, Memento mei Domine, cum ueneris in regnum tuum: & cõfeſtim uocem filij Dei audire promeruit, Hodie mecum eris in paradiſo. Orẽt igitur iuſti à ſpiritu habitante moti, ut principaliter ex miſericordia, & ſecundariò ex iuſtitia ſaluentur: orent & peccatores, corde compuncti, cũ à ſpiritu Dei ad orandum mouentur, ut miſericordiam conſe-

*Chryſo. in hom. ſuper Ioã. quæ in fine operis additæ ſunt, hom. 4.

*Enchi. c. 7.

*Marc. 11. e.

*Enchi. c. 7. Et Chry. in hom. 4. ſup. citata.

¶Peccator orãs ut miſericordiam cõſequat

*Ioan. 9.

*Luc. 15.

quantur,* quandoquidem omnis qui petit acci- *Dixi in lib. 4. de li. arb.
pit, siue iustus sit, siue peccator:* ueréque nos o- *Chry. super Matthæũ.
rantes Deus audit, cum ipsum Deũ quærimus,
non autẽ quando aliud quàm Deũ inquirimus.* Psalm. 85. col. 4. & 5.

CAPVT SECVNDVM.

De modo orandi, ac loco.

DIANA. CAMERARIVS.

MAgna ergo infœlicitas mulierum est, quæ cũ in Latinis literis minimè uersatæ fuerint, non intelligentes quæ dicunt, mente haudquaquã orare possunt. CA. Duplex attẽtio est, q̃ orationi uocali adhiberi potest, Altera nimirũ, cũ ad uerba attẽdimus, ne malè illa ꝓferamus: q̃ nil mulieri Dei seruitio in aliquo cœnobio non dedicatę obesse potest. Altera uerò quæ uerborũ scripturæ sensum cõspicit, quã habere satis expedit, ut mẽte ardẽtius in Deũ rapiamur. Huiúsq; rei causa iis qui Latinã linguã ignorãt, omnino persuadeo, ut quædã in propriã linguã è scripturis fideliter uersa legãt, quò mente & ore, id concipientes quod uerba sonant, obsecrare possint. Quod si desit, poterit tunc eo modo orare, quo pius Idiota orare solet, nempe ut interea dum legit, omnis attentio circa unionem cum Deo, cui uniri totis uiribus petit (Paulo authore) uersetur: cum ait: Sibi autem loquatur & Deo.* DIA. Satius igitur nobis mulieribus esse puto, ut posthabita oratione uocali, mente duntaxat uniamur Deo, qui corda nostra cognoscit: quãdoquidem

¶ Duplex orationis attentio.

*1. Cor. 14

mens

mens est quæ cœlos penetrat: uox autẽ à cõtemplatione animam plerunque sic retrahere solet, sicut & cætera sensibilia agunt. C A M. Minimè sic repente negotium hoc terminandum est. DI A. Quapropter? C A M. Siquidẽ altera communis oratio dicitur, quæ ab Ecclesiæ ministris propterea alta uoce in Ecclesia pro populo cantatur, ut quid Ecclesia credat, Christi fideles audire, atq; accuratè expendere possint. D I A. Non quidem mulierum, quæ Deo dedicatæ nõ sunt, hoc officium est. utinam tamen sensim ora clerici aperientes, sentẽtias sicut decet proferrent: non autem prandium ueluti scopum propositum habentes: cum Primam, Tertiam, Sextã, & Nonam concinunt, ad fugam accincti, perinde orare eligerent, ac si leonem qui eos in choro deuorare uenisset cernerent: adeò enim uerba præcipitanter proferunt, immò potius deglutiũt, ut neque ab aliis intelligantur, neque quid ipsi dicant, intelligant. C A M. Sic enim quidam dyscoli, uoto astricti, ut statutas horas singulis quibusque diebus concinãt: quadam animi pressura in oratione premuntur: ut loqui potius quàm orare, non solùm in choro canẽtes eligant, uerùm etiã dum submissa uoce easdem horas legũt. aut enim hęc agentes per porticus deambulãt: aut qui diuites sunt, de fœnore computãt: aut abducti turpi cogitatione etiam quæ dictu erubescenda sunt, gerunt. Quibus audacter dicere poterimus, Vbi fides tua? Siccine putamus orasse Ionam? Sic Da-

¶Oratio cõmunis.

nielem inter leones? Sic tres pueros in fornace? Sic latronē ī cruce?*Qua ratione à Domino exaudiri ſperatis, ſi uoſmetipſos loquētes, nec auribus auditis, nec mēte preces concipitis? cōmiſerandum ſanè genus, de quibus Auguſtinus loquens dixit: Multi ſonum orationis habere poſſunt, uocem autē non poſſunt. * Sed ô quàm infœlices eorum prælati ſunt, qui iſta ferunt. Altera uerò particularis oratio eſt: à ſingulari quodam homine, ſiue laico, ſiue clerico, extra uotū Deo oblata: quę & mētalis, & uocalis eſſe poteſt, Iuuat tamen aliquādo, ut uocalis ſit, quando uoce orando mentem in Deum abundantius quiſpiā erigit. Vbi uerò mens à uoce diſtrahitur, ſatius eſt ut uocali poſthabita, ſola mente Deum obſecret: * quandoquidem hic orationis fructus eſt, ut coniungamur Deo.*neque aliam ob cauſam propheta modo inquit, Voce mea ad dominum clamaui, qua mens ad obſecrandum augebatur:*modo uerò quando raucæ eius fauces factæ erant, ſubiūgit: Dixit tibi cor meum, * quod loqui omnino ignorat: & alibi, Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes,*quaſi ſignis oraſſent. Quemadmodū in perſonis eorum, qui aliquam tribulationē patiuntur, experimur, qui cum uix loqui poſſint, corde cum afflicta Anna plerunque orāt. * in ea tamen ſum ſententia, ut cum fieri poteſt, ore & mente una afflicti obſecrēt: eo quòd Deus animæ & corporis ſimul dominus eſt, cui corpus quoque orans Hieronymi exem-

*Hiero. aduer. Luci. tom. 2.

*Aug. Pſal. 139. col. 5.

¶ Oratio particularis & uocalis & mentalis eſſe poteſt.

*Aug. Pſal. 3. col. 2.

*Diony. de diui. no. c. 4.

*Pſal. 73.

*Pſal. 26.

*Pſal. 118.

*1. Reg. 2.

exemplo exhibere debemus: qui cum ob eius infirmitatem genua flectere nequiret, funem supra lectum suspẽsam detinebat, ut ea manu complexa, corpus parumper supra lectum eleuaret, itáq; quantum poterat, corpus quoque orando exerceret. & ut semel finiam, summatim ita orãdum est, ut siue loquendo, siue tacendo, id tandem eligatur, quod magis in unione facienda cum Deo animæ conducit. DIA. Satis huc usque constat, quid oratio ipsa sit: & quomodo Deo accepta dicatur: & quando uocali uel mentali oratione uti debeamus. Superest modo ut fines orationi præscribas, ne plus aut minus quàm oportet oremus: siquidem Iesus, qui in oratione pernoctauit, * & sine intermissione iubet orare, *rursum dicit: Cũ oratis, nolite multũ loqui.* CAM. Excitatis uerbis conclusionem hanc haurire poteris: nempe, tandiu lõgas esse effundendas preces, quãdiu spiritus Deo unitus manet: ubi uerò sic pigrescit, ut loqui magis quã orare ipsum hominẽ dicamus: ne fortasse putet cũ Ethnicis in multiloquio nõ autem in longa oratione se exauditurum: satius abstinere erit, donec mẽs à Domino excitata, rursum ad orandum conuertatur. Interim uerò operibus charitatis uacare, cùm is semper oret, qui iudicium & iustitiã perpetuò facit: Augustino teste ad Probam, cum ait, In ipsa fide & charitate continuato desiderio salutis æternæ semper oramus. Et alibi, Si non uis intermittere orare, noli intermittere cœlorum regnum desiderare.* Cõ-

Luc. 6.
**1. Tim. 5.*
**Matth. 6.*
¶ Vtrũ oratio longa, an breuis esse debeat.
Aug. Psal. 37. col. 8.

ſulo tibi præterea, ut breues quaſdam orationes tecum habeas, quibus uti tum ea ratione poſſis, ut cùm defeſſa propter orationẽ fueris, illas Domino porrigendo, paulatim animum ad lõgius orandum impellas: tum etiam ut cum mente oras, breui illo tempore, ſuauitatẽ charitatis prægustans, toto pectore in Deum rapiaris: atque ſic rapta, cum Paulo dicere poſſis, Oro ſpiritu, oro & mente, * labiis quoque ipſi Deo unita. *1 Cor. 14.

CAPITIS SECVNDI § PRIMVS.

Orationis Dominicæ elucidatio.

DIANA. CAMERARIVS.

ALiquam ergo breuem mihi exhibe orationem, ut illam in Gallicam linguã uerti iubeam, eáq; uti queam. CAM. Nullam aptiorem, aut breuiorem orationem, neq; magis compendioſam, multíſque myſteriis refertam tibi exhibere potero, ipſa oratione dominica, quam Ieſus ſuo ore dictauit. Hæc enim oratio tantæ uirtutis eſt, ut nil aliud dicere poſsimus quã quod in illa continetur.* DIA. Cur igitur tam Eccleſia in cõmuni, quàm cæteri particulares prophetę & ſancti uiri tot particulares orationes nobis tradiderunt? CAM. Vt deuotio orãtis creſcat, dum alia uerba, non autem rem aliam ab hac oratione ore exprimit.* DIA. Læta deinceps uiuam, quod ea oratione perpetuò delectata ſim, in qua omnia, quibus opus habemus, breui compendio contineri expẽdo. CAM. Rectẽ ne tu orationis huius ſubſtantiam intellexiſti? DIA. Aliqua paucis receuſebo

*Augu. ad Probam.

*Augu. de or. Deum.

cenſebo

censebo si placet, quę contemplari soleo, interea-
dum preces has Domino porrigo. CAM. Perge.
DIA. Quotiens enim dico [Pater] patrē omniū
qui nascuntur, creatorem cogito.* Quem inopia
aliqua non impedit, quin ea omnia dare possit,
quæ promisit:* Patrem insuper ueracem, qui cor-
da hominū scrutatur, & quibus opus habemus
nouit, atque omnia quę pollicitus est non solùm
liberaliter dat, uerūetiam nostra oratione præ-
uia antequàm oremus, ab æterno illa dare cōsti-
tuit.* Cùm uerò dico [noster] adoptiuum patrem
omnium qui renascimur agnosco, per Christū
Dominum nostrum: * qui propterea in plurali
nos orare docet, ut orādo pro omnibus prædesti-
natis, tanquā unum ex membris Ecclesiæ, cuius
hæc oratio est, * unusquisque oret. CA. Nónne
cū isthęc expendis, quasi ad patrē omnipotentē
ac dare uolentem summa cū fiducia accedis? DI.
Talem ego fiduciā initio orationis ex his hau-
rio, ut nulla pusillanimitas, nullus denique ti-
mor à cursu me accedentem ad Deum retrahere
possit: mox enim cōtemplor Ecclesiā quoq;, me-
mini orare Iesum per quem has septem petitio-
nes, quas Domino porrigimus, pater pro eius re-
uerentia semper exaudit.* Iesum inquā, qui hāc
fiduciā nobis dedit, ut tanquā à patre ista requi-
ramus: & Spiritum sanctum misit,* à quo doce-
remur orare.* Atque alio in loco dixit, Quæcū-
que petieritis in nomine meo, faciam: ut glori-
ficetur pater in filio, * bellè ostēdens se quoq; da-

*Gene.1. Heb.3.
*1.Para.c. 19.e. Ioan.3.
*Inf.c 4.
*Ephe.2.
*Cypriā lib. de ora. dom. & Aug. in serm de tēp. 182. ser. 2.
Heb.3. Io.11
...n.14.
...8.

re, cũ pater iis q in nomine suo ista petũt, donat: hæc enim quicunque ante quã oret si cogitauerit, protinus omnẽ exultationem è corde excludet. Deinde cũ dico, [Qui es in cælis:] illũ patrẽ omnipotentem uidere uideor, qui nõ solùm omnia creauit, uerũ etiã cũcta sua prouidẽtia gubernat.*Qui etsi in seipso constet, adhuc tamen absq; motu in cęlo maximè est empyreo, ubi sedes eius, in Christi carne assumpta, quã nunquã dimisit: in Angelis quoq;, q facie ad faciẽ ipsum æterna fœlicitate uidẽt: * & per gratiã in sanctis suis, qui cęli ꝓpterea à sacra scriptura uocantur.* CA. Quid contẽplaris, cũ deinde subiũgis, [Sanctificetur nomẽ tuũ?] nũ ut quasi Sãctus antea nõ fuerit, Sãctus nostra oratione fiat? DI. Sanè non: imò potius ut Sãctus à nobis habeatur, hoc est ut ab omnibus, q̃ siue in cælo, siue in terra uenerãtur, segregatũ eũ esse intelligamus, eiúsq; sanctitatem recipiendo, nomen eius extollamus, atque laudemus, quẽadmodum scriptum est: Sancti estote, quoniã ego sanctus sum, ab omni macula segregatus: itáq; Deus cum sancto, sanctus sit.* Hæc deprecatio prima esse debet, ut deinde in sanctificatum cor sua dona infundat. CAM. Quid uerbis sequentibus [Adueniat regnũ tuum] petere te putas? DIA. Quippe ut gratiæ & glorię regnum adueniat, per charitatẽ scilicet inhabitantem, quã Deus rex regum in sanctificatũ cor habiturã immitat, ut angelis sicut promisit æquales simus:* & hoc quidẽ non ut statim à gratia

*Sap. 14.

* Aug. de eccle. dogm. c. 61.

*Osee 2. d. Psal 2. & 148.

Aug. in lib. de ser. dom. in monte. lib 2. c. 10. & bono. per 2.

tia excidamus,quin potius,ut gratia prima alterã perſeuerantiæ comitem habeat, quod regnare eſt. Verum quia minimè gratia ſimplicis perſeuerantię ſic perpetua eſſe ſolet,ſicut illa quæ perſeuerantiæ uſq; in finem dicitur,& regnũ ſtabile ut adueniat oramus, ſequentẽ deprecationẽ magiſter qui nos orare docet,ſubiungit: [Fiat uolũtas tua, ſicut in cœlo & in terra:] quibus uerbis nil aliud q̃ perſeuerantiã uſq; in finem petimus. Sic enim patris uoluntas in cœlo ſemper fit, ubi poſt confirmationẽ angelorũ,nemo peccare poteſt: *quod & in terra fore obſecramus. CAM. Quid per terrã intelligis. DI. Multos ſenſus habet. CA. Recenſe ſigillatim. DI. In primis ut omnes terræ uniuerſæ homines ad Dominũ conuertãtur, & conuerſi hanc perſeuerentiã uſq; in finem habeant,uel ut uolũtas eius fiat in terra,nimirum Eccleſia catholica,quæ terra eſt,ut in gratia, quã Petrus Chriſto orante obtinuit, ne deficeret fides ſua, Eccleſia perpetuò cõſeruetur, uel ut inferior carnalis pars,quæ terra dicitur, cælo, hoc eſt rationi obediat: *Itaq; in particulari ipſe quoq; perſeuerentiã uſq; in finẽ obtineat,quam Deus Chriſticolis pœnitentibus, ſaltem in hora mortis non negat,* uel omnia ſimul. CA. Recte hæc: Atqui dic rogo,cur panem eueſtigio petit? DIA. Cum is qui in hoc ſtatu eſt,nõ modo corporali cibo,ſed ſpirituali opus habeat, ambo petere ſpirituales homines,his quę ſequuntur uer-

*Aug. de ſer. do. in monte. ca.11.

*Aug. in eodem loco.

*Aug. de bo. perſe.ca. 1.6. De ciui. Dei. lib.18.c.51.

bis docuit : [Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.] Quibus Matthæus uocem hanc addidit supersubstantialem, ut simul coniunctis, hunc in modum oremus : Panem nostrum supersubstantialem * Christum, sub speciebus panis in sacramento Eucharistię uelatũ da, ut tẽpore statuto illud sumere cũ cæteris ualeamus: interim uerò ut fide manducemus.* Et post hoc reliqua Lucę uerba subiungamus:[Et quotidianum] per uoces has panis quotidiani, omnia uictui necessaria cũ Salomone nobis dari obsecrãtes, quẽ hodie dari, id est uel pro tota uita, petere ualemus : * uel pro die una, quemadmodũ sanctiores homines singulis diebus in domo patris magna cũ fiducia & humilitate nihil de crastino cogitantes panem quæritant.*C A. Quid per sequẽtia uerba obsecramus [Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?] nũ ut propter aduerbiũ sicut, regulam à nobis Deus accipiat, quomodo peccata nostra dimittẽda sint? D I. Tuo ex ore uerborũ horũ explicationẽ audire opto. C A. Non quidẽ hoc sensu oramus, immò potius duo dona ab eodẽ patre per hæc uerba simul petimus, alterũ nimirũ, ut cũ Luca dicamus, Dimitte nobis peccata nostra: alterũ uerò, ut præceptũ hoc, satis hominibus gratia desistente durum, ut inimicis parcamus, quantum ad peccatũ contra nos cõmissum attinet, gratia Dei facillimum fiat, non secus ac si dicamus, Iussisti Domine ut inimicis parcamus:

*Aug. in eo loco. & de bo. perse. c. 4.

*Aug. Io. 6.

*Psal. 94. Heb. 3.

*Matth. 6. d.

mus: ecce prōpti iam ſumus te cor noſtrum excitante id perficere, quod natura præſtat, uerumenimuero quia aliquid in corde ſentimus quod conſcientiam reprehendit, haudquaquam ex toto corde nos id feciſſe, ſicut ex toto corde peccata noſtra nobis remitti optamus, noli plus à nobis exigere, quàm præſtare ualemus: age ſaltem Domine, ut ſic in plena bonitate & potētia tua, nobis inimicis tuis parcas: ſicut & nos, quantū poſſumus & humana debilitas ſinit, debitoribus noſtris peccata in nos cōmiſſa dimittimus: omnia certè q̄ potuimus fecimus, & adhuc oramus, ut gratiā tuā infundas, qua comite, præceptū hoc, ſi aliquid deeſt, ut decet ſeruemus. Sic enim orādo, aduerbiū ſicut, optimā quodāmodo æqualitatē cū Deo in hoc opere habebit, dū omne quod in hoc ſolus ipſe poteſt dimittere, ut nobis dimittat obſecramus, qui omne id quod poſſumus remittēdo & orādo pręſtamus, cū eo loquētes, cui notū eſt, potētiā hāc parcēdi ex toto corde inimicis noſtris, ī nobis ſolis minime īeſſe, donec luctus beatitudo adueniat. Hoc ſanè modo Domini auxiliū īplorādo, nō modò Eccleſia, ſed quodlibet Eccleſiæ membrū in particulari, iuſtè et abſq; periculo dicere poterit, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: ſecus autē ſi labiis nō autē corde dimittat: ſi enim ipſe nil corde dimittit, quomodo ei aliquid dimitti putat? Deus ſanè eſt qui hāc uerā remiſſionē à nobis exigit, & non irridetur.* *Gal. 6.
D I. Cū uerba illa dico [Et ne nos inducas in tēta-

tionē] hūc in modū corā Deo cū ecclesia me orare existimo: Agnoscimus Domine, uitā nostrā perpetuā militiā super terrā esse, in qua Saulē electū, uidimus deiectū, sapientē Salomonē stultū esse factū: & Petrū fidei firmā petrā, Christū negasse. Rogamus ergo Domine, ut in omni nostra tētatione sic gratia tua ꝓtegamur, ut facias ex tētatione prouentū. * Deniq; subiūgo. [Sed libera nos à malo,] id est diabolo, qui nos illaqueare summis uigiliis (quærens quē deuoret) conatur, ut quod cœpit introducendo mortē in mundū, quantū ei licet, perficiat. Hinc sanè omnes miseriæ nostræ promanarunt: pręsta igitur, ut adueniente regno tuo, liberi simus à malo diabolo, & filiis eius: saltē ut tentādo ipsi succūbant: nos autē in regno tuo, in iustitia, pace & gaudio, uiuamus in spiritu sancto*. Libera quoq; et filios suos malos, à malo patre Satana: da illis pœnitentiā, si obstinati in reprobū sensum traditi nō sunt, pro quibus minimè oramus.* Sic planè cōtenta in oratione hac paucis cōtemplor, ne plura cōtemplādo, pauca deniq; dū oro, in memoria habeā.

*1. Cor. 10.

*1. Petri 5.
*Sap. 2. d.

*Tit. 2.

¶ Pro obstinatis non oramus.

*1. Ioan. 5. d.

C A. Identidē ego, ob eandem causam reliqua omitto, quæ patres nostri scripserunt, ut pij lectores in libris illorum reliqua legant, intelligātque rectè eum uiuere nosse, qui rectè nouit orare.*

*Aug. in lib. 50. hom. 4. in prin.

CAPITIS SECVNDI § SECVNDVS.

Orationis locus.

DIANA.

LOcum ubi orandum sit, scire dũtaxat restat, ut plenam doctrinam de modo orãdi memoria retinere queam, quandoquidem scripturæ uariè sensisse uidentur: dum unà dicit, Domus mea, domus orationis meę:*altera uerò, Intra cubiculũ tuũ, & ora in abscõdito.* C A. Cũ homo ex anima & corpore, à summo opifice Deo factus fuisset: sæpe eã ob rem Paulus, uolens essentiales ipsius hominis partes commonstrare, exteriorem hominem ab interiore distinguere solet.*nõ ut duo sint homines, qui unus est: magis autem, ut per exteriorem hominẽ, effigiem qua homines esse cognoscimur, ostendat: p interiorẽ uerò hominem, ipsam animã, quæ imaginem trinitatis habet. In quo eleuare spiritũ parumper oportet, ut carnis uox, exterior nimirũ homo, non solũ carnem quã uidemus atq; palpamus, significet, uerùm etiã omnes animę partes inferiores. D I A. Nõ satis hoc intelligo. C A. Cum suprema animæ pars mẽs hominis, ipsaq; ratio sit, quæ regula quadam omnia gubernat: & nisi à praua uoluntate, sensuúmq; atq; carnis stimulis flecteretur, omne malum perpetuò excluderet: hinc supremam animæ partem spiritualem uocamus: inferiorem uerò partem carnalem, quia carnis opera operatur. D I A. Dic quæso lucidius. C A. Finge hominem, ratione, omnem carnis appetitum dominantem: uoluntati frenum sic imponere, ut totus hæreat Deo: hic certè, suprema sui

*Matth.21.
*Matth.6.
¶ Interior homo, exterior homo.
*2.Cor.4. Ephe.3.

ſpiritus parte, nimirum ratione, Deo hærebit, ut unus ſpiritus cum Deo ſit:* tametſi totus homo unita uoluntate & carne, hæreat Deo, quod ea ratione ita eſt, quia ſuprema pars tanquam prima cauſa efficit, ut unus ſpiritus cũ Deo ſimus:* contra uerò ſi quis Satanę peccando hæreat, carne hæret: tametſi praua uoluntas rationem errare plerunq; faciat, ut bonum id eſſe putet, quod ei mors eſt, & totus homo Satanæ hærere eligat: Paulo teſte, dum opera hæc, unica uoce, carnis opera appellat.* tenes iſta? DI. Teneo, ſed quorſum tendas, adhuc ignoro. CA. His præcognitis, ad rem uenio, ut uerba illa Domini cum ait, Domus mea, domus orationis meæ, uos autem ſpeluncam latronum feciſtis:* ſecundum literæ ſenſum de ipſa Eccleſia manufacta terreſtri, intelligenda quoque ſint, ut quemadmodum Hebræi ſynagogas ſuas habebant, itidẽ nos etiam Dei domum habeamus:* in qua ſimul conueniẽtes, idcirco unà oremus, ut oratio multorum, qui Eccleſiã in loco illo cõſtituunt, facilius ac plenius exaudiatur:* quandoquidem nullus ſuauitatis odor Deo magis placet, quàm uitulos labiorũ noſtrorum, quos ſingulis quibuſque diebus ei offerimus, quaſi uoce una, & ſpiritu uno offerri:* cuius rei cauſa proceſſionibus Eccleſia utitur, ut integer populus à Deo illa expetat, quibus opus habet. Quis enĩ dubitare poterit, quin apud eundem Dominum qui dixit, Vbicunque congregati fuerint duo uel tres in nomine meo,

*1.Cor.6.d.
Vt ſup.
*Gala.5.d.
¶Templum Dei Eccleſia manufacta.
*Matth.25.
*Aug. in ſer. de tem. ſer. 60. feria 6. poſt dominicam ſerm. 2. col. 2. folio 156.
¶Cur in Eccleſia oramus.
*Iaco.5.c. Nume.21.d.
*Ephe.4.a.
¶Letaniæ.

ego in medio illorũ ſum, multo plus ualeat opus hoc à toto populo, maiorum quoq; obedientia confectũ? * O quàm pulchrũ hic cernere eſt Regis aut Reginæ maieſtates, quas tot principes comitãtur, Chriſtũ ſequi, quãdo preces tales in Letaniis à populo ipſi Deo offerũtur. DIA. Illo igitur in loco eſt orandũ. CA. Illo, ut in unũ omnes pariter ueniẽtes ex cõſpectu mutuo, lętitia maior oriatur: itaque iubilemus Deo ſalutari noſtro. * Hoc igitur age, cũ ut auribus uerbũ Dei audias, ſacríq; oblationi ſimul interſis: tũ ut mẽte quoq; eodẽ contextu pſallas. At ſcito neminẽ ibi orare poſſe, qui eodẽ in loco cubiculum proprium nõ habet, quod clauſo oſtio intrare poſſit, & in abſcondito orare: ut pater, qui in abſcõdito uidet, reddat ſibi.* DIA. Quid iſtud? uix enim corpora noſtra tẽplum capere poteſt, tu uerò uis ut cubiculum unuſquiſque ibidem poſſideat? CAM. Cum uerba prophetæ audimus, In cubilibus ueſtris compungimini: & paulò pòſt, Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ: * nil aliud cõcipere debemus, niſi ut in templo corporis noſtri, & in cubilibus cordis atque mẽtis Deo unitis iſthæc faciamus: ubi ſacrificium iuſtitiæ, fide quæ per charitatem operatur, per Chriſtũ, ſacrificium iuſtitiæ, ſacrificamus. * Quandoquidem ſi ſcriptũ eſt, membra noſtra eſſe templum Domini: * ſancta tamen ſanctorum, mens & cor ſunt, ubi Dei ſpiritus inhabitare uenit: ut ſpiritu ei hærentes, unus ſpiritus cũ eo ſimus. * Dixerim hæc ut intellig

*Baſi. Magn. epi. 68.

*Pſal. 94.

¶ Ille orat in Eccleſia, qui cubiculũ proprium in eadem Eccleſia intrat.

*Matth. 6.

¶ Vera oratio in cubiculo fit.

*Pſal. 4.

*Aug. in lib. de magiſt. c. 1.

*1. Cor. c. 3. 6.

*1. Cor. 6. d.

¶ *Cubiculũ quid.*

biculum hoc,uerum templum Dei,quod etiam in templo lapideo manens, intrare compelleris, animam tuam esse: quẽadmodum Augustinus quodam in loco testatur,inquiẽs: Vis in templo orare? in te ora: & ita age semper,ut Dei tẽplum sis:ibi enim Deus exaudit ubi habitat: * & alibi, Cubile nostrum, est cor nostrũ, ubi tumultum patimur malæ conscientiæ, & ibi requiescimus quando bona conscientia est. * Rursum tẽplum orationis homo est, ubi is orat qui in pace & unitate Ecclesiæ orat,* ita ut templum nõ solùm illud sit,quod ex lapidibus manufactum est, uerùm etiam,cor quod tu fecisti tibi:* Domino alibi dicente,Facite uobis arborem bonam. * Sed

In libro sẽtẽtiarũ Aug. sent. 333.

**Aug. Psal. 35. col. 3.*

**Aug. Psal. 130.*

**Ezech. 18.*

**Matth. 12.*

¶ *Quis ostium claudat in cubiculo orans.*

obserua,quid inde sequitur,quippe ut ĩtrare cubile haudquaquam sufficiat,nisi ostium claudatur:belle ostendens,uerum cubile, partem illam supremã mentis esse,ubi Dominus habitat,quẽadmodum paulò antè dixi:proindéq; ibi clausuræ locũ esse,inter mentẽ & carnalem sensum,cui portæ claudendæ sunt: ne spiritualẽ orationem ad patrem dirigendã,uanis phantasmatibus impediat. Ostium præterea claudere, hoc tunc erit, quãdo non ea quę extrinsecus,sed ea quæ intrinsecus sunt,à Domino petamus. * Claudere item ostium, ne tentator ingrediatur. * Quibus iam uides quid altera scriptura sentiat,cum ait,debe- e nos orare in omni loco:* cui adiicias tu,modo mni loco,cubile intremus. Siquidem ubicũ- raueris, intus est qui exaudit, & in omni loco

**Aug. de ser. do. in monte. lib. 2. c. 6.*

**Aug. Psal. 141.*

**1. Tim. 2.*

loco oculi Domini contemplantur bonos & ma los.* Neque propterea, cum in Ecclesia oramus, ita delicatos nos esse debere oportet, ut eam ob causam nolimus coram hominibus orare, quia nos orantes cernunt: quandoquidem id malum esset, quādo idcirco oraremus ut à populo, Dei adoratores uideamur, non autem quādo propterea uidemur, quia coram Domino, ut ei placeamus, oramus:* hoc tamen requiro, nempe ut gesticulationes quasdam membrorum, quæ etsi alio tempore commendatæ erant, quia tamen hodie proximis scandalum generare solent, ne offendiculo illis simus, moderate amplectamur: nullóque modo in angulis platearum quempiā ut uideatur orare, ne rectum iter precum suarū frangat aura popularis, nisi charitas magna adsit: ut tūc à Domino in illo loco uocetur ut oret: cuius uoluntatis iudex ipse homo erit, qui intrinseca cordis sui sentit.

*Prou 15.

* August. de ser. dom. in monte: lib. 2. c. 6.

¶ Orare corā omnibus in abscōdito.

CAPVT TERTIVM.

Pro quibus orandum.

DIANA. CAMERARIVS.

SCire à te nunc uellem, pro quibus Deo preces offerre obligemur. CAM. Nullam pro angelis, uel diabolis obsecrationem facere debemus: quandoquidem angeli illa non egent. Diabolis uerò eā ob causam prodesse minimè potest, quia

¶ *Oratio pro angelis.*

¶ *Oratio pro diabolis.*

in inferno, nulla est redemptio. DIA. De hominibus loquor. CAM. Hominum quidam mortui sunt, quidam uiui. DIA. Incipe à mortuis. CAM. Hos trifariam partiemur, nempe ut quidam in cælis summo bono fruantur, quos in hoc Angelis comparamus: quidam uerò in inferno ardeant, quos inter dæmones connumeramus. Tertium uerò genus eorum sit, qui in purgatorio sunt: pro quibus Ecclesia orat: quemadmodū alibi fusissimè probaui.* DIA. Quanquā isthæc arrideant, unum mihi obstare uidetur, quod animum conturbat: ignorantia nimirum nostra, dū nescimus, quo in loco hi quos diligebamus, maneant. CAM. Satis est ea mente orare, nimirum si in purgatorio igne, ut mundentur, permaneāt: certa quòd oratio tua, quę in cęlo uel in inferno ipsis non proficeret, pro te saltē uacua esse nō possit, Propheta teste cum ait: Et oratio mea in sinu meo conuertetur.* uel etiam reliquis qui illa egēt proderit, quemadmodum ibi dixi.* DIA. Quid pro uiuis? CAM. Itidem & uiui partiēdi in duas partes erunt: quorum quidam reprobati ab æterno sunt, pro quibus, ubi factum nobis innotesceret, haudquaquam oraremus. Quidam uerò prędestinati, pro quibus oramus, ut omnia eis cooperentur in bonum, uerùm quia incerti de hoc uiuimus, Deo (hac conditione) preces nostras in cōmuni exhibemus, Domino Iesu magistro nostro sic iubente, ut dicamus Pater noster, & non dixit

¶ *Oratio pro mortuis.*

*In nostro libello de purgatorio igne.

¶ *Oratio pro uiuis.*

*Psal. 34.

*In libello de purgatorio igne.

*Cypria. in lib. de orat. dom.

dixit Pater meus:*Da nobis,non autem da mihi: ea ratione ſic præceptum, ut ſicut ipſe unus totius Eccleſiæ onus portauit:itidem nos,unus pro omnibus mutuò orare ad ſalutem diſceremus.* Hæc magiſtra regula eſt,quam modificare debemus, ut de iuſtorum oratione intelligatur, quorum officium eſt,ut pro aliis orent:eo quòd ſcriptum eſt,Peccatores Deus nõ audit.*Et alibi,Victimæ impiorum abominabiles Domino: uota iuſtorum placabilia.* Iſthuc enim ubi accuratè religioſi penſarent, cum paſſim ſe pro proximis oraturos,quaſi ſecuri de eorum iuſtitia pollicentur:peterent potius,ut alij pro ipſis orarent.DIA. Pauci igitur pro aliis orabunt, quia pauci abſque peccato inueniũtur.* CAM. Immò multi: quãdoquidem peccata uenialia iuſtitiæ nitorem nõ auferunt. Et ubi peccator quiſpiam ſit,ſufficit antequam oret,ſuorum peccatorum pœnitere,ut ſacramentum fidei,nimirum baptiſmus, portas ſacramento pœnitentiæ adaperiat,quò ad deperditam iuſtitiam perueniat.Hoc enim tibi exemplo eſſe debet,ut cum oras,ſemper cor contritum ſaltem propter occulta peccata habeas, cum propoſito confitendi tempore ab Eccleſia ſtatuto.DIA. Paulò antè te dicentem audiui,poſſe peccatorem pro alio peccatore orare, modo preces miſericordiæ,non autem meritò innitantur. CAM. Non inficior me dixiſſe peccatorem orare poſſe: non tamen dixi,ut peccator pro alio peccatore oret.

*Iaco. c. 5. orationem Eccleſiæ ponit.

*Ioan. 9. f.

*Prou. 15.

*1. Ioan. 1.

¶ Peccatores an pro aliis orent.

¶ Temeritas ſacerdotum.

¶ Quid agere debeãt peccatores, antequam orent.

¶ Ad rem redit.

DIA. Quendam cōcionantem ego ſemel audiui, qui Thomæ authoritate tenet, hanc peccatoris deprecationem, pro peccatore altero ab Eccleſia admitti.* CAM. Orationem peccatoris miſericorditer exaudiri, quatuor qualitatibus accedētibus, altero in loco Thomas aſſeruit: quippe ut pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, pie, & perſeueranter, * pro qua opinione, teſtimonia ſcripturæ contrariam regulam limitantia habemus, in publicano & latrone: pro altera autem opinione ut peccator pro peccatore oret, nihil legimus, quod regulam quæ dicit, Peccatores Deus non audit*, perſtringere poſſit. DIA. Opus ergo & impenſa perit, quādo pecunias malo ſacerdoti, ut pro mortuis uel uiuis oret, damus. CAM. Si ſolus ſacerdos malus *cōſideraretur, qui ſegregata ab eo charitate nil mereri poteſt, nihil ageret: uerùm quia in defuncto propria adeſt charitas, quæ in uita ſibi comparauit, ut ſuffragia uiuorum poſt mortem ei prodeſſe poſſent (quemadmodum in altero libello noſtro de purgatorio docui) hinc fit, ut eleemoſyna data malo ſacerdoti ei proſit.* Pro uiuis autem, ſi uiui charitatē habēt, eadem ratione prodeſſet, etiam ſi is qui dat, peccator eſſet: ſiquidem quo modo poſſet peccator pro ſe orare, poſſet quoque & eleemoſynam erogare, quę miſericordiæ Dei inniteretur. oratio autem priuata ſacerdotis nihil ualeret: * de quo nos in præſentiarum quęrimus. Si uerò quęras, an oratio cōmunis

*22. q. 179. ar. 2. ad 1.

*22. q. 83.

*Ioan. 9.

*Tho. lib. 2. ſen. diſt. 40. ar. 4. in fi.

*Tho. 3. parte. q. 2. ar. 6. c.

& sacrum oblatũ à malo sacerdote prosint, quia tunc Ecclesiæ minister est, & Iesu Christi, quod per peccatum non perdit, hoc modo prosunt.*

*Thomas in loco citato.

CAPITIS TERTII § PRIMVS.

Quas preces pro inimicis Deo *offerre obligemur.*

DIANA. · CAMERARIVS.

QVid de inimicis sentis, Domino dicente: Orate pro persequentibus uos.* quãdoquidem quosdam audiui, quibus placet ut nõ solùm in particulari pro inimico orare nõ compellar, uerùm etiã, ut pro eius morte possim Dominum deprecari. C A M. Ambo hæc simul elucidabo. D I A. Perge. C A M. Diu te nouisse hæc omnia in inimicorũ odio consideranda esse autumo. Iustitiam ipsam, gloriam Dei, publicam utilitatem, qualitatem inimici, naturam, & qualitatem illius qui uindictam expetit. Quibus rectè expensis, facilè euenire poterit: nos eundem propter culpam odire, quem propter naturam amemus: ita quidem, ut inimici ruina, sine peccato nos lætificet, contra uerò eius gloria absque inuidiæ culpa contristet: tunc planè cum ruente eo, quosdam bene erigi credimus, uel proficiente eo, alios iniuste opprimi timemus.* D I A. Breuẽ regulam rogo exhibeas, quam mente retineam, & per ipsam intelligam, quando amare uel odio habere, inimicos obliger. C A M E. Regula hæc

*Matth. 5.

¶ *Qualitates orationis cõtra inimicũ.*

*Greg. 21. Moral.

¶ *Regula odij & dilectionis inimicorum.*

erit, ut ordine ad Deum hos diligamus, illos uerò odio habeamus: tunc enim ſpes quæ per ſe mala & bona eſſe poteſt, perpetuò bona erit. *D I A. Incertum per incertius. C A M. Quum nil Deus oderit ex his quæ fecit:* ex hoc ſequitur, ut minimè naturam uiuentis hominis odio nos habere queamus. contra uerò, cum animaduertimus, Deum eundem hominem propter peccatum dũtaxat odiſſe: peccatum ipſum ab homine tanquã à cauſa profectum, donec peccatum durat, ſecũdum Dei uoluntatem odio habere ualemus: ſiquidem in hunc modum uerba illa interpretantur, iniquos odio habui, & legem tuã dilexi: hoc eſt iniquos iniquitatem actu operantes.* intellexiſti hæc omnia? D I A. Vtique. C A M. His ergo rectè expenſis, rurſum conſidera, Deum (ut in peccatores animaduerteret) magiſtratus conſtituiſſe, qui non ſinerent maleficos uiuere ſuper terram.* D I A. Quid commune cum noſtra uindicta iudicia magiſtratuum habẽt? C A M. Nempe, ne inimici nobis noceant: ut Dei uindictam contra illos, non tanquam uindices, ſed quaſi ſerui oppreſſi, inuocare queamus. D I A. Iuſte ergo mulierculæ oppreſſæ, Dei nomine inuocato, maleficientibus illis, maledicunt? C A M. Sirach teſtatur, quod in amaritudine animæ ſuæ, exaudietur deprecatio ſua*: & utitur uoce deprecationis, uindictæ nomen excludẽs, ne maledictio eſſe uideatur, quæ humilis oratio eſt. Dauidis exemplo, cũ

contra

¶ Non naturam, ſed malum quod in homine eſt, odio habere quimus.

¶ Adire magiſtratum ut iniuriã uindicet.

¶ Maledictiones fœminarum oppreſſarum.

*Tho. 22. ar. 1. ad 1.

*Sap. 11. d.

*Pſal. 118.

Exo. 22.

*Eccl. 4.

contra Saulem dixit, Vlciſcatur me Dominus ex te, manus autem mea non ſit in te.* Quoniam ab impiis, impietas egredietur. Etenim ſi terrenos iudices ob hoc iuſtè adimus: quantò magis ipſum Deum ut maleficos puniat, uel ne inimici noceant, poterimus deprecari? ſatius cũ ſit, antea occurrere, quàm poſt cauſam uulneratam remedium quærere? Nónne propheta ſæpe in hũc modum orauit? Contere brachium peccatoris & maligni:* confundantur, & reuereantur quærentes animam meam:* gladius eorum, intret in corda eorum.* DIA. Hoccine eſt illis benefacere, & animam pro eis ponere? CAM. Quare non? iuſsít ne fortaſſe Deus, ut minime ad ipſum recurramus, cùm impij nos dilaniare proponunt? aut naturæ defenſionem abſtulit, cum perfecti eſſe non eligimus, & aliam faciei partem, dantibus alapã, offerre denegamus? ſatis equidem eſt, illos à communi oratione, uel uniuerſali beneficio, non excludere: Domini exẽplo, qui ſolem ſuum ſuper bonos & malos oriri facit.* aut fortaſſis ſtultum potius quàm Chriſtianum non reputabimus illum, qui corpus ſuum iuſtum, pro iniuſto exponit? Siquidem corpus meum pro ſalute animæ inimici, quæ propinquior corpore proprio animæ meæ eſt, ponere obligor, non autem corpus meum Chriſtianum, cum corpore ſuo diabolico, permutare. Sic enim Propheta qui donec ſpes ſalutis aderat, prius dixerat, Defectio tenuit me

*2. Reg. 24.
*Pſal. 8.
*Pſal. 34. & 69.
*Pſal. 36.
*Matth. 5.

¶Recurrimus ad Deũ ut puniat inimicos.

¶Quando pro inimicis orandum.

¶Oramus contra inimicos nocere uolentes.

pro derelinquentibus legem tuam:* & alibi contra obstinatos orauit: Fiant tanquam puluis ante faciem uenti, & Angelus Domini coarctãs eos,* à paucis de terra diuide eos in uita eorũ.* Auerte mala inimicis meis, & in ueritate tua disperde illos. Quibus ad hunc modũ ruminatis, perspicuè uides, quomodo inimicis benefacere teneamur: & in quem modum illos (dum obstinati sunt, & nocere deproperant) odio absque Dei offensione habere possumus. DIA. Tunc ni fallor feruẽtius pro illis orandum esset, quãdo facilius perire possunt. CAM. Fateor, donec cõuersionis spes habetur: Siquidem moderatè malorum hominũ afflictiones, plangendæ sunt: quemadmodum Dominus Samueli dixit: Quousque tu luges Saul?* Hac enim ratione Ecclesia pro peccato ad mortẽ haudquaquam orat.* DIA. Deús ne homo ipse est, qui tunc sciat, hunc uel illum obstinatos esse? CAM. Perpetua conditio hæc inest, nimirum si conuerti nolit: quasi contra inimicum, nocere nobis uolentem, orationem ipsi Deo præponamus, cui omnia patent: iudicium ei committentes, qui nõ nouit iniustè iudicare. DIA. Ea enim ratione, ob quam Augustinus dicit, ut propter ignorãtiam reprobatorum, omnes corripere debeamus: pro omnibus orandum quoque erit.* CAM. Fateor: sed non propterea in oratione hoc addere prohibeor: nempe, ut Domino me committam, qui pro illis, quos ipse reprobatos esse prænouit,

¶Oratio à correctione in quo differat.

*Psal. 118.
*Psal. 34.
Psal. 53.
1. Reg. 16.
*1. Ioan. 5.
August. de bon. perse. c. 19.

prænouit, me non orare intelligat: pro quibus ſi
1. Ioan. 5. ſimpliciter orarem, haudquaquam exaudirer. In hoc enĩ oratio à correctione ſatis differt, quia correctio noſtra homini fit, cuius ſtatum ignoro: oratio uerò Deo porrigitur, cui omnia patẽt: nec propterea hanc conditionem coram eo exprimere prohibemur, quæ tacite ineſt.

¶ *Correctio ab oratione differt.*

CAPITIS TERTII § SECVNDVS.

An hodie poſt legem euangelicam ſic orare fas ſit, ſicut Dauid tempore legis faſtorum orabat.

DIANA. CAMERARIVS.

MInime puto nobis licere cum Dauide contra inimicos orare: eo quòd tanquam Propheta ille loquebatur, ea prænuntians quæ futura erant. CAM. Quanquam Dauid multa eo tẽpore prophetauerit, in quo ipſum blaſphemaſse litera potius commonſtrat: uerbi gratia, quando Iudæ exitum prophetauit, dicens: Fiat eius do-
Pſal. 68. mus deſerta, id eſt, fiet: & ſic de reliquis, * iuxta
*Pſal. 108. illud, Educes de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos
Pſal. 142. meos: Da illis, id eſt dabis, ſecundum opera eorum: & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum, redde, pro reddes, retributionem ipſorũ
*Pſal 27. ipſis: * quæ omnia futura erant, ab eo in ſpiritu præuiſa. Quadrifariã tamen contra inimicos iuſtè orauit: in primis, ut propterea inimici afflige-

¶ *An nobis eo modo orare liceat, quo Dauid cõtra inimicos orabat.*

¶ *Orauit Dauid, tanq̃ propheta futura prænũtians.*

¶ *Quadrifariam Dauid contra inimicos iuſtè orauit.*

rentur, quò ad Dominum conuerterentur: ſicut in pſalmis ſcriptum eſt: Imple faciem eorũ ignominia, & quærent nomen tuum.* Secundò, ne impij iuſtis hominibus noceant: quemadmodũ alibi Moyſes dicit, Fiãt immobiles donec trãſeat populus iſte tuus, quẽ poſſediſti.* Tertiò, ut impij ne occidant, ipſi prius occidantur: inquiens, Gladius eorum intret in corda eorum.* Et quartò, quod iniqui, iniquitatem operantes, ſi obſtinati ſunt, poſt ſcelera commiſſa, ſecundum Dei iuſtitiam puniantur: quemadmodum alibi Dauid cecinit, Deſcendant in infernum uiuentes.* Quę omnes petitiones, etiam in nobis iuſtæ ſunt, modò tanquam à Domino modificandæ proponãtur, & ordine ad Deum propter ſuam gloriã perpetuò optentur. DIA. Cur publicam animaduerſionem, & ob publicam utilitatem fieri, ſupra tu propoſuiſti?* CAM. Magiſtratuum publicam animaduerſionem præpoſui: in malefactores, qui pacem publicam uel particularem conturbant, ut ex his intelligeres, non poſſe nos optare, ut priuata ui, ſed Dei iudicio quiſpiã occidatur.* DIA. Nónne uidimus multos homines priuata ui pleroſque necaſſe, & à Deo adiutos fuiſſe? CAM. Sic ſcriptura inquit: Qui percuſſerit hominem uolens occidere, morte moriatur: qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus tradidit eum in manu inimici eius, cõſtituit ei locum quo fugere debeat.* DIA. Dei ergo miniſter tunc ille fuit, tametſi uniuer-

*Pſal 82.
*Exod. 15.
*Pſal 36.
*Pſal. 54.

¶ *Publicæ utilitatis cauſa, mortem proximi optamus.*

¶ *Non tamẽ poſſumus optare, ut priuata ui quis occidatur.*

*Aug. de ciui. Dei. c. 21

¶ *Deus eos plerũque adiuuat, qui priuata ui maleficum occidunt.*

*Exod. c. 21.

uniuersalis iudex constitutus non fuisset. CAM. Sic Abigail Dauidi dixit: Et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærũt Domino meo malum : & paulò pòst, Quia prçlia Domini tu prçliaris.* DIA. Qui ergo potest mortẽ inimici deprecari: multo magis post mortem, de eius morte poterit gaudere. CAM. Quid ni? si ordine ad Deum, illum odio habet. DIA. Quonam modo? CAM. Nempe ut lætemur quòd à Deo, uel iusto iudice, morti traditus sit: cùm eo uiuente dubitabamus, ne ei nocẽdo peccaremus, Dauide teste cum ait: Benedictus Deus, qui iudicauit causam opprobrij mei, de manu Nabal: & seruum suum custodiuit ab omni malo, & malitiã Nabal reddidit Dominus in caput eius. * DIA. Non possum negare, quin citata scripturæ testimonia, ipsam ueritatem contineant: sed nescio quid adesse adhuc uidetur, quod legi euangelicæ non quadrat: illa enim saltem sub antiquorum dicto continebantur, ut odientem nos odio habere quiremus:* at ista, benefacite, orate pro persequentibus uos, iubent.* CAM. Aliud est me simpliciter propterea inimici mortem appetere, quia ipsum odio habeo: quod Christiana religio uetat, iubens ut Christum imitemur, qui cruci affixus pro crucifigentibus orauit: quemadmodum Stephanus eum imitatus fuit.* Aliud uerò ut causa addatur, quare id opto: nempe propter Dei gloriam, ut destruatur regnum peccati: uel ob pu-

*1. Reg. 25. e

*1. Reg. 25. g

*Glo. super Matth. 5.

*Matth. 5. g

*Act. 7. g.

¶ An de morte inimici lætari queamus

¶ Ad quem modũ uerba illa intelligãtur, Orate pro persequẽtibus uos.

¶ Ad Dei gloriam, ob publicam item utilitatẽ, & ut peccata impœnitentium puniantur, iuste oramus.

blicam utilitatem, ut prouinciæ malis hominibus purgentur, uel ut peccata obstinati puniantur: quæ omnia Christianam pietatem redolent, Paulo dicente, Iudicem gladium tanquam ministrum in manu gestare.* & alibi, Reddet ei Dominus secundum facta sua.* DIANA. Dem hæc omnia sic esse, quid tum? nos enim de particulari inimico loquimur. CAM. Omnia planè illa, quæ absque peccato operari quimus, æqualiter à Domino impetrare ualemus: nónne? DIA. Maximè. CAM. Certum quoque est unũquemque, qui se defendere cogitur, sic se defendere posse, ut sese cum moderamine inculpatæ tutelę defendendo, hominem absque ullo peccato occidat*: das & hoc? DIA. Do. CAM. Hoc ubi ita sit, quid impedit, quin cùm occidi timemus, dominũ adeamus, cui nostras miserias insinuemus, atque aperiamus: petentes ab eo ut nos (etiã cum inimici morte, si ita ei necesũ esse uidetur,) à manu iniqui eripere dignetur?* nónne Reges iusta bella propterea exercent? DIA. Sic Ioannes testatus est, quando militiam approbauit: ostendens necessariam esse, tum ut malefacta uindicẽtur, tum etiam ne fiant.* CAM. Satis ergo Christiano homini erit, ut ista hac conditione petat, si opus fuerit, aut resistere aut se defendere cũ morte inimici. Quod autem Iesus ait, ut pro illis oremus: sic intelligitur, ut natura diligatur, salúsque inimici optetur, & à communi oratione non excluda-

¶Contra occidere uolentem rectè in particulari oramus.

*Rom. 13.
*2. Tim. 4.
*Tho. 22. ar. 1. c.
*Psal. 16. 17
*Vide Tho. 22. q. 40. ar. 1.

cluda-

Vt sup. cludatur. DIA. Adhuc ſtimulus quidam animum meum ſolicitat. CAM. Quis? DIA. Etenim cum inimicos uideo, illos, tametſi non noceant, natura tamen abhorret, eorúmque ruina lætatur. CAM. Occideres tu illos, ſi occultè poſſes? DIA. Nequaquam. CAM. Quare? DIA. Ne Dei legem contemnam. CAM. Tuta es: quandoquidem ſecundum rationem, non autem ſecundum affectus ſenſuum, inimicos diligere in communi obligamur.* ſatíſq; eſt ſi illos affectus quos caro porrigit, ratio repellat. DIA. Obligór ne cũ illis conuerſari? CAM. Vtique, cùm de ſalute animæ eorum agitur: & in his quæ in communi tractantur.* in reliquis autem, quia benefacere inimicis in cæteris, cumulus perfectionis eſt, & id quod pertinet ad perfectionem charitatis, nõ eſt de neceſſitate ipſius.* Tunc ſicut nec cum omnibus loqui obligaris, ſic quoque cum inimico loqui nõ aſtringeris. An igitur ei loqui uelis liberum erit. Mea tamen eſt ſententia, ut ſancti Prophetæ conſilio utaris: qui ſic ait, Ab inimicis tuis ſeparare,* nõ credas inimico tuo in æternum, ſicut enim atramentũ, inimici iniquitas eruginat:* & idcirco humiliatus incedit, quo aduerſum te laqueum paret: in labiis ſuis indulcabit, & in corde ſuo inſidiabitur, ut te in foueam ſubuertat.* In oculis tuis lachrymabitur inimicus, & ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine tuo: & cũ aduenieṫ mala, illum inuenies illic aliis priorẽ:*

Margin notes (left): *Thō. 22. q. 25. ar. 8. & q. 83. ar. 8. — *Thō. 22. q. 25. ar. 8. — *Glo ſuper Matth. c. 5. — *Eccle. 6. — *Eccl. 12. — *Vt ſup. — *Eccl. 12.

Margin notes (right): ¶Indignatio contra inimicos. — ¶Quando obligemur cũ inimicis conuerſari, uel eos deuitare.

quo in loco multa alia Iesu Sirach aceruauit, quæ legere potes: & alibi, Discede ab iniquo, & mala abs te deficient. * quapropter Paulus Timotheũ admonuit, quòd Alexandrum fabrum ærarium deuitaret.* DIA. Quid si inimicus ueniam à me summa cum humilitate petat, teneor tunc ei loqui? CAM. Nequaquam, nisi in obligationibus superius expressis: ne melioris conditionis ille sit qui te iniuria affecit, altero qui nihil egit, quo cũ loqui & conuersari minimè compelleris. Habes igitur quomodo cautè cum omnibus inimicis uiuendum sit, & quẽ in casum eos diligere, uel odio habere obligemur, quæ posthabitis scholasticis disputationibus, quas facilè concipere nõ posses, paucis absoluenda esse duxi. Omissis quoque cæteris quæstionibus, quæ parum ad nostrũ institutum (qui ea tractamus quæ perfectionem orationis impedire possent) cõducere uidebãtur.

Eccl. 7. *2. Tim. 4.*

¶An cũ inimico ueniam petenti loqui obligemur.

CAPVT QVARTVM.

Quare oramus, si ab æterno Deus omnia sua prouidentia ordinauit.

DIANA. CAMERARIVS.

CVm duas scripturas dilig ẽter pondero, quarum altera sic ait, Scit enim pater uester, quibus opus habetis antequam petatis: * altera uerò, Antequam clament exaudiam: * Ex his Deum ab æterno omnia statuisse concludo, qui nil in tempore

Matth. 6. b.d *Esa. 65. d*

pore facit: quod ubi ita ſit, cur ego orabo? CAM. Dic quæſo, quis frumẽtum quotannis nobis dat, nũ is qui in terrã illud ſpargit? DIA. Nequaquã, ſed Deus, ſicut Paulus teſtatur.* CAM. Cur igitur ſolus Deus omnipotens frumentum nõ producit, qui lapides in panes conuertere poteſt, & lilia campi creſcere facit?* DIA. Per ſecũdas cauſas ea de re operari hoc Deus elegit, ut homo pane ueſceretur in ſudore ſuo.* CAM. Abſurdum ergo non eſt, ut Deus per media aliqua, id agat, quod ab æterno homini præſtare elegit. DIA. Aut Deus dare cõſtituit, aut nõ: ſi dare, ipſe abſq; mea oratione dabit: ſi non dare, num ego immutabilem Deum, mea oratione mutabo? CAM. Nulla mutatio in Deo eſt, qui ab æterno te orante id quod petis, dare conſtituit. DIA. Cui hoc ſecretum Deus reuelauit? CAM. Noſti quomodo in Deo omnia æterna ſunt, qui nihil in tempore facit, nec mutatur? DIA. Noui. CAM. Hoc præcognito, rogabo te an illud Ezechiel legeris, quãdo ei uitam lachrymis Deus prolõgauit.* DIA. In memoria habeo. CAM. Quid tunc factũ putas, num ut mutatum Dei cõſilium fuerit? DIA. Omnino. CAM. Longe opinione falleris: quandoquidem ab æterno, uitæ Ezechiæ finẽ, lachrymas, & prorogationem uitæ, unà Deus ſciuit: & duplici gratia (harum lachrymarum pręſcius) ipſum proſequi, eodem retento conſilio, cõſtituit,* per quæ belle uides, quomodo ea quæ dare ab

*2. Cor. 9.
*Matt. 6. d.
*Gen. 3.
*Eſa. 38.
*Auguſt. de gen. ad lite. li. 6. c. 17.

¶Argumẽtũ illorũ, qui male de prædeſtinatione ſentientes orare contemnunt.

¶Nulla mutatio in Deo cauſatur, quando oratione media nos exaudit.

æterno ipſe Deus conſtituit, noſtra oratione præuia conſummare propoſuit. DIA. Quid ſaltem opus hominum oratione eſt, ſi antequam petant à Domino exaudiuntur?* CAM. Duo iſta ſunt, bonum deſiderare, & bonum quod optat petere. DIA. Duo. CAM. Num ſcriptura ſic dicit, Exaudiam eos antequam deſiderent? DIA. Minimè, ſed antequam clament. CAM. In caſu ſuo igitur uerba illa locum ſibi uendicabunt, ut antequam petant, nõ autem optent, exaudiãtur: iuxta illud, Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.* & alibi dixit, Cõfitebor, id eſt, propoſui in corde cõfiteri, aduerſum me iniuſtitiã meam Domino: & tu remiſiſti (antequam ore confiterer) impietatem peccati mei.* Atque alio in loco, hunc in modũ Danieli Angelus locutus fuit: Ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt uerba tua.* Sic enim & Chriſtus, quia pro Lazaro orare conſtituerat, antequàm oraret, exauditus eſt. *Omnia quidem ſub uno nunc æternitatis, coram Deo manent, qui origine duntaxat unum ante aliud agit, ſed propter nos tempus habere dicuntur, quemadmodum libro quarto de Libero arbitrio & prædeſtinatione fuſiſſimè declaraui. Deſine iſta perſcrutari quæ nimis ſubtilia ſunt, & ad rem redeamus. DIA. Vnum mihi occurrit argumentum, quo omnia quæ dixiſti excludũtur. CAM. Quod? DIA. Si nihil Deus dat antequã optemus,

¶ Quomodo intelligantur uerba illa, Ecce exaudiã eos antequã petant.

*Eſa. 65.

*Pſal. 9.

*Pſal. 31.

*Dan. 10. c.

*Ioan. 11. e.

optemus, cur Psaltes dixit: Voce mea clamaui ad Dominum, & exaudiuit me? CAM. Vocē ibi pro oratione, quæ à mēte quoq; proficiscatur, nō autem in solo sonitu uerborum consistat, usurpauit. DIA. Aut mentis desiderium saltem à nobis Deus requirit: aut utrūque. Vt uoce quoque clamemus. CAM. Omnino. DIA. Vbi tunc Dei liberalitas? num mercatorem Deum faciemus, qui non absque precibus quicquam nobis dare uult? CAM. Cur mercatorem? DIA. Sic Senecæ placuit, ut nulla res carius ematur, quàm quæ precibus empta est. CAM. Humana ibi Seneca tractat. DIA. De eleemosynis sanè Augustinus loquens sic ait: Non enim est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur.* CAM. Quando scilicet à proximo aliquid petimus, qui Dei præcepto parere sponte atque hilariter obligatur: nō autē à Deo, qui dixit: Petite, pulsate.* DIA. Rationem assigna cur Deus nostram petitionē exigat. CAM. Multa quidem Deus ipse facit, quæ à nobis haudquaquam petuntur. Et si qua petenda esse constituit, maiorem liberalitatem erga hominem tunc exercet. DIA. Quem in modum? CAM. Duos homines fingamus, quorum unus diues sit, alter uerò pauper: nónne pauperi conuenit notum ei esse quo egeat: & quo item tanquā ex superfluo quod alter habet, à proximo adiuuari possit, adiuuetúrque ut gratitudinis officium rependere possit? DIA. Omnino. CAM. Itidem

*Aug. hom. 39. tom. 10.

*Matth. 7.

¶Cur Deus, qui antequā petamus, nos exaudit, nostrā orationem exigit.

igitur cum Deo ſeruandum eſſe cenſeo: ut orationis medio, homo animaduertat quæ bona ab eo obtinuerit, quo deinde gratus ſeruus eius eſſe queat: ne animalis homo, qui ſpiritualia penetrare nequit, adiutoria non petita ubi aduenîant Dei munere ea ſe conſecutum minimè expẽdat.* DIA. Oratio igitur urget? CAM. Maximè: quãdoquidem oratio nõ ſolùm efficit, ut homo Dei munificentia ſe id quod habet, aſſequutũ intelligat, uerumetiam ut diſcat fiducia quadam in neceſſitatibus ad Deum recurrere: & cum eo, tãquam cũ amico colloqui (quaſi adſcitus in eius ſocietatem) cõſueſcat.* quod quàm dulce ſit, quãque iucundum, hi norunt, qui cum Regibus huius mundi, familiariter loqui experti ſunt: ab his tẽporalibus ad ęterna, à morituris Regibus, ad Deum uiuum atque immortalem, animum erigentes. DIA. Res ipſa hanc orationis ſuauitatem omni oranti interea dum orat, commonſtrat.

Aug. hoc in ſumma aliis uerbis dicit, de bo. perſe. cap. 7. ibi, quod poterat.

**1. Ioan. 1.*

CAPITIS QVARTI § PRIMVS.

Quem in modum Deus, *qui ab æterno conſtituit dare, labia noſtra aperiat, ut per* Chriſtum *omnia conſequamur.*

DIANA. CAMERARIVS.

SCire optarem, quomodo Deus, qui ab æterno conſtituit dare, labia noſtra aperiat, ut per Chriſtum omnia conſequamur. CAM.

Vis

Vis hoc manu tangere? Finge aliquem ante portam aulæ regiæ ſtare: qui neque regem conuenire poſſit, neq; ſcribere nouerit, neſciátq; quomodo oporteat cauſam ſuã corã rege proponere: & perinde ac ſi mutus eſſet, ante regis ianuam mœſtus maneat, cui chariſſimus aliquis regis aulicus obuiam ueniat, dicátque: Cur adeò mœſtus es? Scio qua re egeas: ego tibi quid petere debeas oſtendam, tuóq; nomine ſcribam: atque per aulicos dabo operam, ut filius ipſe regis patri ſuo ſupplicem libellum tuum tradat, cui pater ipſe nihil unquam denegare ſolet: itáque deinde exequatur. Nónne aulicus proprio motu ad porrigendum preces illius animum ſuſcitauit, modúmque præſcripſit, quo in illis ſeſe gerere debeat: & auxilium præſtitit, ut per filium regis omnia impetraret? DIA. Vtique. CAM. Ex his ergo terrenis ad cœleſtia rapiamur, Dei miſericordiam expendentes, qui maior aulico eſt, quomodo ſpiritu ſuo ſancto muto homini, qui orare non cogitat, obuiam ueniat, inquiens: Bono animo eſto fili: Ora patrem tuum, ut ab omni anguſtia libereris: neque expaueſcas quòd orare neſcias, quoniam ego per ſpiritũ ſanctum meum te inſtruam, ut quomodo oporteat gemitibus inenarrabilibus orare poſſis: tuáſque preces tanquam incenſum in conſpectu meo aſcendere per manus angelorum iubebo: itáque traham, ut per fidem ad Chriſtum filium meum uenias: &

te ad illum accedente, idem Christus qui semper pro sua reuerentia à me exauditur, pro te id quod tu optas, tanquam aduocatus atque propitiator tuus petat. DIA. Quid tu consulis in his quæ optamus, Domino proponendum esse? CAM. Salutem primùm perpetuò à Domino petamus: qui cùm hoc ueluti scopum menti propositũ habemus, cuncta necessaria nobis elargitur. Christi sane hoc consilium est, quãdo dixit: Nolite ergo soliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gẽtes inquirunt. Scit enim pater uester, quia his omnibus egetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis.* Hoc igitur credant omnes quãtumlibet peccatores, nec orare pœnitentes desinant: Dauidem imitantes, qui pœnitentia comite orando, etsi sæpe peccasset, sic Deo acceptus fuit, ut audire promeruerit: Inueni Dauid seruũ meũ secundũ cor meũ.* DIA. Vbi soliciti de necessariis esse nõ debeamus. Satis cõstat nõ posse nos ullam aliã rem à Deo, quã regnũ cœlorũ petere. CAM. Non quidem scriptura dicit, non oretis, nisi ut regnũ Dei habeatis: sed primò quęrite regnũ Dei. solicitudinẽ eorum excludens, qui ante Deũ necessaria quærunt. alioqui quomodo Salomon dixisset: Diuitias nec paupertatem ne dederis mihi, sed uictui meo tribue necessaria?* Necessaria, inquam, ad actus uirtutum.* Petatur ergo prius re-

¶ Quid à Deo pro corporis incolumitate petere debeamus.

**Matth. 6.*

**Psal. 88.*

**Prou. 30.*

Arist.

gnum Dei,& ordine ad illud cætera temporalia appetamus, non ſolum generaliter ex Socratis ſententia,cui placuit,ut nil ultrà petendũ à Diis immortalibus eſſet, quàm ut bona tribuerent: quia hi demum ſcirent quid unicuique utile eſſet: uerũ etiam ſpeciatim, ubi ea quæ optamus, omnino bona ſunt: quemadmodũ in Oratione dominica oramus. Vbi uerò dubia petierimus, ſic ea petamus,ut Deus cui omnia patẽt, ea det, quæ nobis ſint profutura.* In infimis tamen hominem iacere ſcito,qui has uiles preces diuitiarum, aut honoris huius ſeculi ad Deum mittit*. Siquidem ut Saluator ſaluet nos,& tanquam adiutor adiuuet,ut à tribulationibus eripiamur,potiſſimum à Deo petenda ſunt. Hæc tecum tractanda paucis eſſe duxi potius, q̃ magna quæſtionũ mole aures tuas offendere. Satis eſt enim, ut intelligas qualem te dum oras corã Deo, prębere debeas. DIA. Eraſmi librum de oratione legere ſalua conſcientia potero. CAM. Id illi euenit,quod magnis quoque oratoribus noſtri temporis contingit: qui cum in uocabulis addiſcendis ætatẽ conſumpſerint, res quas ſcribant, minimè habent. Caue omnino ne illum legas: non enim aliud egit, quàm tacitis authoribus labores Hieronymi & Auguſtini occupare, qui quotquot oratione auditi fuerãt, aceruarunt: in reliquis uerò in Mariam,ſanctos,& reliquias aut tacitè aut palàm debacchatur. DIA. Cur tu fru-

*Math.7.

*Beda.

ctus hos orationis non ostendisti? CAM. Quia laboriosum potius quàm ingeniosum erat: nec consueui, nihil addendo, aliorum libros describere.

CAPVT QVINTVM.

De precibus sanctorum, ut pro nobis orent.

DIANA. CAMERARIVS.

MAgnum rumorem quorũdam audio qui religioni nostræ resistunt, non debere nos sanctos inuocare: quid tibi hac de re occurrit? CAM. Vigilantij, Eunomij atque Iouiniani hęresis hæc à principio fuit, ab Hieronymo exclusa: inde uerò à Vuiclepho ante centum annos tanquam ab inferis excitata, atque in Concilio Constantiensi explosa: nuperrime uerò a Lutheranis, qui omnem ecclesiasticę religionis statum subuertere conantur, renouata. DI. Quid de hoc tu sentias, mihi aperias quæso. CA. Satis cæteri scriptores hoc nostro seculo quæstionem hanc explanarunt. DI. Tuo ex ore istud audire percupio. CA. Cũ pauca pręter ea, quæ scripta sunt, afferre posim, eos uerò imitari qui aliorũ libros hac de re editos transcribere non erubescunt, satis turpe mihi semper uisum fuerit: qua uia tibi commode satisfacere posim, non inuenio. DI. Satis esse tibi debet, quocunque modo

animæ

animæ cibum hunc largiaris. CA. Poteris itaque ea audire, quæ paulò pòst aduersum Protestantem hunc afferam. DI. Attentas aures præstabo.

CAPITIS QVINTI § PRIMVS.

An nos qui uiuimus, Deum in meritis sanctorum qui ante nos mortui sunt, obsecrare queamus.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

CVm scripturę omnes doceant, Deo patri offerendas esse preces, sicut Iesus inquit, Ora patrem tuum in abscondito, aut uerbo incarnato, quemadmodum his uerbis testatur Ioannes, Quodcũque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, * ut glorificetur pater in filio: causam à te scire opto, cur sanctos uos oretis? CA. Quatuor hæc omnino diuersa sunt: primum, an nos sanctos inuocare ualeamus: alterum, an illi in cælo pro nobis Deum possint deprecari: tertium, an eorum corpora possimus in terra uenerari. & quartum, an rectè eorum statuas uel picturas in memoriam illorum (quantum decet) colamus: quibus de rebus hodie tecum disputabo.

* Ioan. 14. b.

CAPITIS QVINTI § SECVNDVS.

An fas sit sanctos mortuos, ut pro nobis orēt, inuocare.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

QVid obstat quo minus sanctos summo bono in cœlo fruentes, inuocare queamus? PRO. Quoniam scriptum est, unum esse mediatorem Iesum Christum, aduocatum, propitiationemque nostram, qui pro reuerentia semper auditur.* CAM. Fateor, atqui minimè scriptura inquit, quòd solus ipse oret: quin potius contrarium Iesus testatur, cum inquit: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis.* Semel enim cum uerba ista protulit, satis ostēdit nil suo honori detrahi, per quemcunque oratio fiat, modò in nomine mediatoris ea quæ optamus postulentur. PRO. Tunc scilicet quando nos ipsi oramus. CAM. Nonne ab aliis pro se obsecrationes fieri Paulus petiit?* PRO. Viuis. CA. Sint uiui, modò hāc conclusionem ex Pauli uerbis hauriamus, nempe ut alter pro altero Deū in nomine Iesu Christi ualeat obsecrare. PRO. Non refello: sed simul nego posse nos uiuos, mortuos sanctos interpellare ut pro nobis orent. Hoc age tu, uel unum scripturę testimoniū huius rei mihi ostendas: & tibi palmam cedam. CA. Iamiamque rei huiusce periculum faciemus: interim tamen

à te

*Gala. 3. 1. Ioan. 2. Ad Heb. 5. c.

*Ioan. 15. c.

*Rom. 15.

à te ſcire peruelim, an tu aliquod ſcripturæ teſtimonium deliteſcens habeas, quo mortuos ſanctos rogare, ut pro nobis Deum orẽt, impediamur? Quid impedit quin fiat? PRO. Quoniam ſcriptum eſt: Deus omnia in omnibus operatur.* CAM. Non quidem perpetuò Deus omnia in omnibus ſolus operatur, ſed per cauſas ſecundas, ſicuti ſcriptura docet multa per angelos Deum feciſſe, quæ ſolus abſque angelis facere poterat. PR. Qua uia ſancti in patria orare poterunt, ſi ibi nihil merentur? CA. Eos nil in patria agere, ut agendo mereantur, fateor: uerùm ſic in uita meruerunt, ut poſt mortem tam à Deo diligantur, ut ſumma cum fiducia & charitate pro nobis orent: aliud cum ſit mereri tunc quando orant, in quo ſtatu non ſunt: aliud uerò propter præcedentia merita eſſe in ſtatu impetrandi, in quo ſunt. * PRO. Omne meritum nos negamus. CA. Ea lege, quæ in lib. De prædeſtinatione ſcripſi, & tace. PRO. Scripturam affer, quæ hanc ſanctorum orationem oſtendat. CAM. Vbi ſcriptura, quæ dicat hos qui in uia à charitate moti, pro nobis orant, maiorem in cęlo habentes charitatem * pro nobis non poſſint orare? PRO. Vbi tunc gloria Chriſti? CAM. Tanto glorioſior Chriſtus caput corporis myſtici eccleſiæ Dei eſt, quanto maiora opera, nedum æqualia, cætera membra corporis ſui in capite Chriſto agunt. PRO. Maiora? CA. Nón

*I. Cor. 12.

*Tho. 22. q. 83. art. 11. primum.

Aug. de ſpir. & lit. c. 36.

¶ *Deus operatur per cauſas ſecundas.*

¶ *Qua uia ſancti in patria pro nobis orare poſſunt, ſi in patria nihil merẽtur.*

¶ *Scripturam ut ſancti pro nobis orare poßint, Proteſtantes quærunt.*

¶ *Maior gloria Chriſti eſt, ut ſancti per Chriſtum in cœlo pro nobis orent.*

ne eminentiori modo suæ gloriæ hoc tribuit, quando prædixit maiora miracula (dum per illum modũ similia à Christo facta non sunt) suos discipulos in se capite facturos, sicuti consummatum est, ut Petrus sola corporis umbra, Paulus uerò semicinctio absentes infirmos sanarent, *quæ Iesus operatus nunquam fuit: tametsi infirmos absentes sanasset. *PRO. Cur homines qui absque medio ad Christum accedere possunt, cuius merita Deus elegit, ut omniũ per ipsum misereretur, per medios sanctos ad eum recurrunt? CA. Vt in oratione multorum facilius exaudiãtur, præsertim iustorum, qui dum in cœlo manẽt, iustitia eorum certa est: horum enim preces Deus in unitate ecclesiæ exaudit* quando etsi mortui sint, adhuc tamen eorum animæ sub nostra ecclesia comprehenduntur. *PRO. Si charitas fons orationis est, & Christus maiorem charitatem cæteris sanctis habet, atque maior est, cur ad sanctos minores Christo, non potius ad Christum illis maiorem recurrimus, ut à Deo exaudiamur? CAM. Responde tu prius, an Deus maior humanitate Christi sit, maiorémque charitatem habeat, quàm humanitas Christi habet? PRO. Longè maior. ac sine comparatione maiorem, quandoquidem Deus caput Christi*, ipsaque charitas est: * & idẽ Iesus dixit: Pater maior me est. CA. Frustra ergo ad Christi humanitatem minorem Deo, orando

acce-

¶ *Cur aliorũ orationes exquirimus.*

*Acto.5. 19
*Matth.8.b
*Pro.15.
*de uer. eccl. dei, dial.3.
*1.Cor.11.
*1.Ioan.4.c.
Ioan.14. d.

accedimus, ut mediator ſit inter nos & Deum, ſi in Deo omnia eminentius habemus. PRO. Ea ſcilicet ratione, quia Chriſti merita exaudire Deus propoſuit, non tua. CA. Libenter igitur ad ſanctos hac quoque ratione recurrimus, qui plus nobis Chriſti merita participantes, facilius per Chriſtũ exaudiũtur,* ut paulo ante diximus. PR. Diſtinctione hac opus eſt, nẽpe ut uiui ꝓ uiuis orent. CA. Date textum, aut doctorem orthodoxum ſaltem unum, qui in cœlo hanc poteſtatem orandi reſtringat, & mox tacebo. PR. Cur uos contrarium non probatis? CA. Quoniam ſufficit nobis duo oſtẽdere: alterũ nimirũ, orationẽ à charitatis fonte prouenire, quę maior in cœlis eſt, ut dixi: alterum uero, quod in maiori charitatis gradu, alter pro altero in cœlo oret: ut ſi de quo minus, & de quo magis. Sunt enim & illi eccleſiæ noſtræ, ut uiui in cœlo pro uiuis peccatoribus atque defunctis orẽt. PRO. Scripturæ teſtimonium affer, ſi fidem tibi adhiberi optas. CAM. Quid ſcripturam requiris? num ut illã in malũ ſenſum detorqueas? Nonne ſcripturæ ſunt illæ, quas ſcriptores omnes quaſi uno ore afferunt? PRO. Minus te intelligo. CA. Nũ meminiſti quando Iacob inuocato prius Dei nomine, benedixit filiis Ioſeph, dicens: Inuocetur nomen meum, & nomina patrum meorũ ſuper uos?* apertè oſtendens, non ſolum preces proprias, uerum etiam merita pa-

*Prou. 15.

*Gene. 48. c

¶ *Scripturæ teſtimonia, quibus patet ſanctos mortuos pro nobis uiuis poſſe orare.*

trum Abraham & Isaac exaudiri: quod cum ita sit, quare nos Deo non dicemus: Concede nobis beatæ Mariæ uirginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia, per Iesum Christum dominum nostrum: nónne ad Deum tunc recurrimus? Nónne Christũ mediatorem proponimus? Nónne merita matris Mariæ, Iacobum imitati, qui patrum merita obtulit, nos quoque Deo exhibemus? Porro quid Moyses intellexit, quando orans pro populo, ipsi Deo dixit: Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum.* Itidem & Daniel* merita illorum, quæ in uita legitimè certando acquisiuerant, proposuit: ut post mortem orationibus illorum exaudiretur. Sed quid plura? nónne merita præcedentia sanctorum Deum intueri pro uiuis, ore suo declarauit, quando dixit: Custodiã ciuitatem hanc propter me, & Dauid seruum meum,* qui tamen mortuus erat: sed merita acquisita in uita, hoc præstabant, ut propter illa Deus ciuitatem custodiret. Nec apertissimum testimonium Machabæorum prætermittam, quod Hieremiã pro nobis orare ecclesiæ ostendit.* PRO. Apocryphus est. CAM. Vobis, nõ autem ecclesiæ catholicæ, quemadmodum alibi ostendi.* Et si fuerint tres uiri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob (Dominus inquit) ipsi iustitia sua liberabunt animas suas: animas uerò filiorum non liberabunt.* & alibi: Si steterit Moyses

*Exod. 32.
*Daniel. 3. d.
*4. Reg. 19.
*2. Mach. 15.
*In lib. De purga. & in lib. De uera eccle. Dei.
*Ezech. 14. d

Moyſes & Samuel corã me, non eſt anima mea ad populum iſtum. * PRO. Cur iſta proponis? CAM. Vt reſpondeas, an illos ſtare Deus propoſuerit, qui non poſſent orare? ut fruſtra eorum magis, quàm cæterorum meminerit, ſi nemo poteſt orare. Quòd ſi ſtare poſſunt, atque orare: cur aliorum animæ nihil poterunt? fabulę. Veſtrum Eraſmum legito, qui etſi multa in ſanctos debacchatus ſit, non tamen potuit ueritatem hanc negare: quippe ut nos ſanctos interpellare queamus, atque ipſos pro nobis orãdo propter propria merita exaudiri.*

*Hiere. 15. a.

*in lib. De oratione.

§. SECVNDI PARS PRIMA.

Hìc eadem de re agitur.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

QVa uia ſancti pro nobis orare poterunt, ſi facta noſtra omnino ignorant? CA. Quis iſta dicit? PR. Auguſtinus, qui palàm tres ob cauſas mortuos neſcire quid uiui agãt docet, & ſi eorũ filij ſint. * Primam propter authoritatẽ glo. in Iſaiã ſuper illo uerbo, Abrahã neſciuit uos, quę hoc confirmat. Alterã, quia mori Ioſiam Deus fecit, ne mala uideret quę populo ſuperuẽtura erãt.* Tertiã, quia mater eius ita crudelis non fuiſſet, quin ad Auguſtinum aliquando ueniſſet.* CAM. Antequam uerba

¶An animæ in cœlo manentes facta noſtra ignorent.

*Aug. in lib. De cura pro mortuis. c. 63

*4. Reg. cap. 22.

*in loco citato.

hæc Augustinus diceret, hoc quoque dixit, néque ut arbitratu suo unusquisque hanc sententiam caperet. PRO. Nobis responde. CA. Consequens istud, Mortuus est Iosias Deo iubente, ne mala in uita uideret, quando poterat tristari: ergo illa ignorat in patria, quando non potuit contristari: haudquaquam ualet. Minime quoque alterum consequens efficax est: Abrahã in limbo ob nostra demerita nesciuit nos, & Israel itidem ignorauit nos: ergo facta nostra ignorauit: quoniam hoc modo nesciuit, scilicet ut sciendo oraret: quod ubi ita intelligatur, apertum consequens efficitur, ut possit orare. Sic enim Iesu uerba interpretamur, quando dicit nemini diem iudicij reuelatum fuisse, neque etiam filio: * scilicet ut tũc filius mysterium illud mundo reuelaret. Identidem & illud, Amen dico uobis, nescio uos: * scilicet ut tanquam fratribus ostium aperiam. Non quidem de Abrahamo loquens, dicit: Non potuit scire uos, sed aliter dicit, nesciuit uos. At quid si dicam, ignorauit Abraham, ut non oraret. Hinc ergo in patria, ubi omnia relucẽt in Deo (reuelatione scilicet Dei, omnia secundũ exigentiam reuelantis, non autem omnia omnibus) adhuc ignorat, ut pro nemine Abraham oret: consequentiã istam nego, Iesu in historia epulonis contrarium testante, qui ueritas est, nec mentiri potest.* PRO. Quid Iesus dixit? CAM. Epulonem cognouisse Abraham

*Matth. 24.

*Matth. 25.

*Lucæ 15.

ham posse pro nobis post mortem Abrahami orare. Abraham item non dixisse: Non te audio, non possum pro te orare: sed causas enarrasse, cur non poterat pro illo homine orare, quibus ostendit pro cæteris orare posse, qui in uita hoc meruerunt. PRO. Parabola illa fuit. CAM. Historia uera, quæ illis temporibus in Hierusalem contigit. At quid si parabola fuisset, num Iesus illa finxit, quæ ita esse non consuescāt? Nec alterum consequens ualet: Mater Augustini non uenit, ergo statum Augustini ignorauit. Siquidem animæ, quæ in cœlis sunt, eatenus mouentur, quatenus iustitiæ diuinæ dispositio exigit, * & miraculose agit, tametsi scientiam inferiorum coram Deo ubi omnia intuentur, ipsæ animæ habeant. Quibus sic existentibus, satis constat Gregorio hac in re standum esse, qui animas in cœlo existentes omnium notitiam modo qui dictus est, in Deo habere tenet. *Sunt nāque sancti uiri qui cœlum habitant, angelis æquales, secundum Augustini sententiam, *qui inferiora in uerbo noscunt. * PRO. Si angeli omnia scirent, quomodo per Ecclesiam uerbi incarnati mysterium illis innotuisset? CA. Multi malè Paulū intelligentes, putant Ecclesiā aliter, quàm factū est, angelis reuelasse mysteriū Christi: parū aduertētes Angelū modū incarnationis Mariæ nūciasse: Angelū item modū passionis Christo narrasse, quando guttas sanguinis sudauit.

*Tho. 1. parte q. 89. art. 8. 1. ex Aug. De cura pro mor.

*12. moral.

*Augu. lib. quæst super Gene. lib. 1. cap. 3.

*De ciui. Dei lib. 11. c. 29.

¶ Angeli quomodo facta nostra intelligunt.

¶ Angeli quomodo per Ecclesiā uerbi incarnationē intellexerunt.

Angelos præterea passioni astitisse. ab Ecclesia auté Dei, partem quam ignorabant, eis tunc reuelatam fuisse, quando Patriarchę & cæteri Prophetæ, qui Ecclesiæ membra sunt, hoc uaticinari cœperunt. Deinde uerò Christus Ecclesiæ caput & cætera membra, omnia obscura explicauerunt: quod est per Ecclesiá angelis mysterium incarnationis reuelari. Sic enim Deo placuit, ut à militante Ecclesia triumphans istud audiret, à quo, cur id egerit, nullam possumus causam quærere: satis quidem est, eo modo quem narrauimus, inferiora hæc eisdem innotescere, ut tantum sciant, quãtum Deo reuelare placet. PRO. Nónne angelus qui dicit, Quis est iste qui uenit de Edom?* facta illa ignorare uidetur? CAM. Nemo etiam angelorum quicquam sciret, nisi Dei reuelatione, qui reuelando uni ex septem, qui astant, quasi influendo de uno in alium, cæteri quoque (ut Dionysio placet) eadem sciũt: id sciẽtes, quod illos scire decet. Sic enim unus angelus apparuit alteri puero dicens: Absque muro habitabitur Hierusalem. * Hactenus de ipsa angelorum animarúmque notitia. PRO. Sciãt omnia, modò nihil ipsi orent, cum neque Christi humanitas oret. CAM. Deliriũ Petri Martyris isthuc est, qui ut negaret sanctos pro nobis orare, negauit quoque Christum deprecatorem nostrum esse. PRO. Qua lingua Christus cum Deo in cœlo loquitur? CAM. Ea qua seipsum

¶Angeli quomodo intelligunt.

*Isa. 63.

*Zach. 2.

¶Negãt aliqui ex Lutheranis Christi humanitatem pro nobis patrem obsecrare.

ipſum alloquitur: nónne mẽte orare Chriſti humanitatẽ ſufficit? PRO. Sedet ibi Chriſtus, merita ſua exhibens: & hæc Chriſti oratio (Petri Martyris ſententia) eſt. CAM. Ex diametro tamen Ioannis teſtimonio repugnat, ubi duo narrantur: Primum, aduocatum noſtrum eſſe: proindéque deprecatorem, atque interpellatorẽ, ſicut litera dicit.* Alterum, ut propitiatio ſit propter merita ſua, quæ ſedens ad dextram patris illi orando commonſtrat. At quid ſi neque Chriſtus, neque angeli, neque ſancti ibi loquerentur? nónne ſufficeret, ut quomodo Chriſtus & Angeli patrem alloquuntur, animæ quoque ſanctæ pro nobis orent? Quid dicam? Dicámne uos ſolos ſcripturam nouiſſe: Cyprianum uero, Baſilium magnum, Naziázenum, Cyrillum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Magnum Gregorium, Cornelium papam & martyrem, atque alios qui ſanctos mortuos inuocarunt, ut pro ipſis orarent, ſcripturam ignoraſſe? Dicam denique Eccleſiã catholicam iu toto mundo erraſſe, quæ ſanctos à tempore Apoſtolorum inuocauit, ut pro nobis orarent?* PRO. Quid illi dicebant? CAM. Iam dixi tibi, nolle me alienorum librorum deſcriptorem eſſe, illos ubi placeat legito. PRO. Nónne magnum delirium hoc eſt, ut animam Petri Petrũ uocitetis, quando dicitis, Sancte Petre ora pro me? CAM. Falſo igitur Deus poſt mortem

*1. Ioan. 2.

* Sic eſſe in altero libello de Purgatorio habes.

¶ Irrident nos Proteſtãtes quòd dicamus, Sancte Petre, ora pro nobis.

Abrahami, eiusdẽ Abrahami, Isaac & Iacob se-se Deum esse ait.* Quæ sophismata isthæc uestra sunt? cur scripturam non ponderatis, quãdo Iesus resurrectionem mortuorum hac uia probauit, quia Abrahã, Isaac & Iacob mortuorum iam, Deus esset: quorum Deus non fuisset, nisi resurgere deberent? Vbi belle ostendit animas eorum, qui resurrecturi sunt, perinde ac si corpus haberent, posse nos uocare, propter resurrectionis certitudinem, quam fide expectamus.* Cur Clementis Papæ discipuli Petri testimonium negare non erubescitis, quando ei recusanti onus uicariatus Christi Petrus respondit, Sed certus esto, necesse esse te suscipere omne periculum, quia nec ego pro salute omniũ ab obsecrando cessabo?* Cur simul & Petrum excludere uultis, cum ait: Certus quòd uelox est depositio tabernaculi mei, secundum quòd Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere uos post obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis.* Quid ultrà quæritis? Quid illud, Dabo operam post obitum meum, si tunc ipse moriebatur? Nónne quod Clementi dixit, idem Petrus scripsit? PRO. Cur ea quæ nostri explicando uerba isthæc, afferunt, de industria taces? CAM. Quoniam fabulæ sunt, omnino prætereundæ.

*Exod. 4. a.

*Gala. 5.

¶ *Petri, & Clemẽtis testimoniis mortuos pro uiuis orare posse probamus.*

*Epi. Clementis.

*2 Pet. 1.

CAP-

CAPITIS QVINTI § TERTIVS.

De ueneratione Sanctorum.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

AIS tu sanctorum corpora nos non debere uenerari? PRO. Neque memoriam illorum proponendam esse, neque Deum miracula operari apud sanctorum sepulchra negamus: quin potius isthæc sic confitemur, ut consecutio hæc inferri è uestigio possit, Deum sanctos diligere, & benignum se eis exhibere: non autem & hæc fatebimur, ut sancti mortui pro nobis orẽt, uel ut omnia miracula quæ narrantur, uera sint. Siquidem maiorem partem eorum falso scriptores recensent. CAM. Aliqua ex illis miraculis aliter se habere posse fateor: atqui omnia propterea ad fabulas conuertere, satis temerarium est: simul tot eximios scriptores idipsum testantes. PRO. Miraculis ne stabimus, ueritate hac comperta, ignẽ illum rogorum, unde interim Christiani exierint, artificio confectum fuisse: ut comburere nequiret? CAM. Vnde hoc hauris? PRO. Res ipsa docet Iesum nemini capita sanctorum truncanti miraculis restitisse, aut saltem corporibus capita restituisse. CAM. Quod portentum audio? Ex hoc enim solo regnum Sata-

¶ *Quem in modum uenerationem corporũ sanctorum Protestantes admittunt.*

¶ *Miracula Protestantes eliminare co nantur.*

næ intra uos eſſe animaduertere deberetis, dũ ad tantam inſaniam quidam ex ueſtris diſcipulis deuenerunt, ut iſta dicant, quæ uos ſcribere minimè auſi fuiſſetis. Sed reſpondeant illi, an falſus teſtis Daniel fuerit, quando teſtatus eſt flammas ignis illos interfeciſſe, qui Miſach, Sidrach & Abdenago in caminum ignis immiſerunt, tres uerò pueros illæſos, atque laudem Deo canentes in eodem igne ſtetiſſe, exiuiſſeque audita uoce Nabuchodonoſoris, iſtud cum omnibus conſiliariis ſuis teſtantibus? PRO. Quantæ authoritatis Hieronymi ætate liber Danielis fuerit, pręfatio eiuſdem in librum illum, docet. CAM. Quale uerò opus Eccleſia catholica deinde fecerit, concilia teſtantur. Vos item optimi teſtes eſſe poteſtis, qui diu canticum trium puerorum in Germania concinuiſtis. Quòd autem truncata corporibus capita Ieſus non reſtituerit, dicant mihi, an plus ſit totum hominem excitare, quod Ieſus fecit? membrum reſtitutum uidere optant? nónne abſciſſum quoque membrum reſtituit Chriſtus, quando Malchi auriculã miraculo ſanauit? Quid denique profuiſſet capita iis reſtituere, quibus capita truncari ſua gratia conceſsit? num ut miraculum hoc Iſraëlitæ uiderent, quali maiora non uiderint? nónne iis, qui à Chriſto ſigna petebant, ipſe reſpõdit: Gens praua & adultera, non dabitur uobis ſignum, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. * Etenim neque ſi *Matth. 12.
quis

Lu.16.infi. quis ex mortuis reſurrexerit, credent. PR. Non quidem contradicere poſſum aliqua miracula in loco, ubi ſepulchra ſanctorũ ſunt, à Deo fuiſſe effecta: ſiquidem Patriarcha Iacob poſt ſcalæ angelorum aſcenſus atque deſcenſus ſic dixit: Quàm terribilis eſt locus iſte? Non eſt hic aliud, *Gene. 28. niſi domus Dei.* quem deinde locum in reditu à Meſopotamia uiſitauit.* Et alibi Dominus *Gene 35. Moyſi dixit: Solue calceamenta de pedibus tuis. *Exod. 3. Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Quæ ubi Ioan.5. ſcripta ad noſtram doctrinam non fuiſſent, hoc altero argumento res perſpicua redderetur, nẽpe quia certa prouinciarum cuſtodia diſtincta angelis demandata eſt. CAM. Quando hoc confiteris, dic quæſo, quando tu miracula uidiſti, quæ abſque fide fiant? Nónne Chriſtus dixit: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. *Marci. 9.d. *paucáque miracula in patria propterea feciſſe, *Matth.13. quia fidem non adhibebant.* PRO. Do fidem miraculum præcedere: quid tum deinde? CA. Dic rurſum, quid ruſticus credit cum hunc uel illum ſanctum orat? num in ſolum Deum? minime: quandoquidem tria ſimul credit, in Deum, in Chriſtum, & in merita ſancti, qui Chriſti merita participat. PRO. Non contradico: ſed eum bene credere, dum merita ſanctorum proponit, hoc omnino nego. CAM. Vbi exaudiatur, ſatis propter merita præmortui ſancti in cœlis permanentis, quem ruſticus pro ſe orat, ut

¶ *Miracula in loco particulari fieri Proteſtantes fatentur.*

à Domino quod petit obtineat, ſe miraculum facere Deus oſtendit. PRO. Totum Deus ipſe abſque ſancti interceſsione facit. CAM. Non quidem in Deum abſque ſancti interceſſione ruſticus ſperauit. PRO. Sanctum ergo ruſticus adorauit. CAM. Altero de duobus modis eccleſia orat. PRO. Quibus? CAM. Aut enim Deum inuocat, ut in meritis ſanctorum nos exaudiat, uel quòd illi orent: intelligẽs Eccleſia, ut nos merita ſanctorum per illos Deo porrigi optemus: non autem quòd nos ſanctos adoremus: hoc enim delirium nunquam uiſum fuit, ſanctis patribus ubique clamantibus, Solum Deum debere nos adorare, ſanctos uenerari. Ex quibus, quocũque ex iam enarratis modis hæc fiant, ſatis hoc collegiſſe ſit, ut in cœlo poſt mortem, inſpectis meritis, quæ in uita ſancti ipſi in Chriſtiana militia acquiſiuerũt, poſſint nos adiuuare: id enim eſt quod nũc quærimus. PR. Quis abominationem hanc ferre poterit, ut qui prius Apollinem, aut Aeſculapium inuocabant, nunc ſanctum Roccum aut Antonium inuocent? Hi uerò qui Mercurio aut Herculi ſe commẽdabant, ſancto Eraſmo uel ſancto Nicolao nunc ſe commendent? Itidem qui Venerem inuocabant, Virginem tanquam nautæ obſecrent, dicentes, Salue Regina. CA. Maiora deliria quæ Maranatha ille Eraſmus, à uobis partim deficiẽs, identidem & in multis à catholica Eccleſia Romana, uenenum

¶ Modi ſecundũ quos catholica Eccleſia inuocationẽ ſanctorum approbat.

¶ Eraſmi deliria quibus debacchatur in ſanctos.

num tegere cum iam diutius non posset, in suo libello De oratione, in dedecus beatæ Virginis & sanctorum aceruauit, accuratè legi: eiq; propterea respondebo, ut unum afferat doctorē qui dicat: Potestatem curādi morbum hunc sancto Rocco ascribimus: alterum item sancto Antonio, Mariæ, uel sancto Erasmo. Vnum saltem sacerdotē inueniat, qui aliquando, quēadmodum sanctos inuocat, ita etiā sanctis sacrificiū obtulerit. Alexādri librum relegite, quem ad Olympiadem matrē scripsit: & recolant qui legerint, quibus hominibus mortuis, nullo unquā tempore tanquā Diis sacra fuerint instituta, tametsi falsos Deos inuocauerint, uouerint, uotáque soluerint. Vnum præterea rusticum catholicū mihi commonstret, qui credat sanctum Roccum sanare epidimiam, non autem Deū propter merita sancti Rocci, quę Christi merita participant, illum sanitati restituere: ut euestigiò ego os meū obstruam. Vnum item rusticū hebeti ingenio digito ostendat, qui esculēta uel poculenta Ecclesiæ sic offerat, ut putet ad illū modum oblationes tales sanctos mortuos comedere, sicut Bel idolū Cyrus rex unà cū populo ea quæ in Ecclesia offerebātur, comedere putabāt. *At ubi nō possit, & mēdax (ut cōsueuit) sit, turbam hominū quæ numerari non possit, è regione illi ego ostendam, qui pro uno morbo à Deo meritis unius sancti liberati fuerunt. PRO. Pulchrum audire hoc

*Daniel. 4.

est, ut sancti quidam in uno morbo, quidam in alio Doctoratus insignia susceperint. CAM. Nemo catholicus negat quin æqualiter in meritis sancti Francisci, sicut & sancti Rocci, id ipsum obtinere ualeamus: quod autem plus in uno id fieri quàm in alio cernamus, Paulus causam docet, cum inquit: Diuersitates gratiarum sunt, ut alteri sermo sapientię detur, alteri sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij operatio uirtutum, alij genera linguarum. Hæc autem omnia opera operatur unus dominus, diuidens singulis prout uult: * quandoquidem *1. Cor. 12. a. ipse in sanctis operatur, nō autem sancti in propria uirtute, ut Psalmographus testatur, dum inquit: Mirabilis Deus in sanctis suis. * cui minime *Psal. 67. interdictum fuit in ipsa gratia sanitatum, ut eandem gratiam in plures species, pluribus atque diuersis hominibus condonatam diuidere potuerit, fidei quoque donum plus & minus ad mensuram elargiri, ut fide stabili miracula facilius cernerent. Qua in re testis locuples Christianissima maiestas Regis Francorum esse potest, qui strumarum seu scrophularū infirmitatem miraculo satis aperto sanat: & tamen cæteras infirmitates sanare non potest. PRO. Qui uolunt credere, credant. CAM. O uos infelices, quibus nil aliud datum est, nisi ut credatis mendacio. Nonne in Germania, Hispania, Italia, & & cæteris mundi partibus multi adhuc permanent,

nent,qui à Rege inuictissimo nostro Hērico pristinæ sanitati restituti fuerunt? Venite, uidete,& palpate. Aut in scriptura non legimus unam infirmitatem uno modo sanari, alteram uerò non item? quemadmodum Iesus testatur propterea Apostolos non potuisse dæmonium illud eiicere,quia in oratione & ieiunio eiiciebatur: * ipsi uerò Christo uiuente nō ieiunabant. Quapropter tametsi Apostolis sanandi omnem infirmitatem, atque eiiciendi omnes spiritus potestas data fuisset, hanc tamen non habebant. PRO. Modi diuersi illi sunt,nō autem ęgritudines,aut potestates diuersæ. CA. Data diuersitate modi, multo magis personarum diuersitas admitti potest, ut à diuersis personis diuersæ sanitates procedant. Quis enim potest Dei consilium perscrutari, quare in uno loco hæc miracula fiant, in alio non fiant?* Flectite ceruicem, satis esse putantes hunc in modum suos sanctos Deum exaudire, sicut illos exaudiri quotidie experimur,diuidens dona sua inter sanctos,prout uult. PRO. Cur abusus innumeros, quos Erasmus circa reliquias falsas,quas populo clerici ostendunt,aceruat, silentio inuoluis? CAM. Quoniam nil Ecclesiæ imputari potest ubi particulares homines contra Ecclesiæ præceptum aliquid tale committant.Sic enim canon Innocentij tertij in cōcilio generali promulgatus habet: Cum ex eo quòd quidam sanctorum reliquias

*Matth.17.

*August.ep. 137.

¶ *Erasmi deliria in reliquias.*

exponunt uenales, ut eas passim ostẽdant, Christianæ religioni detractum sit sæpius: ne in posterum detrahatur, præsenti decreto statuimus, ut antiquæ reliquiæ à modo extra capsam nullatenus ostendantur: inuentas autem de nouo uenerari nemo præsumat, nisi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.* PRO. Ad rem redeuntes, causam intelligamus, cur Christo dicente, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos: Romanenses posthabito Christo ad sanctos properandum docent? CAM. Perpetuò in omni quæstione hoc detractionis gloriæ Christi clypeo uti haudquaquam erubescitis, satis esse putantes, ut hac uersutia indoctam plebem decipere ualeatis. Paulò antè dixi ad Deum uenire eum, qui ad Deum per Christum quoquo modo accedit. Sciuit nanque Iesus, quando uoluit sic loqui, Neminem per uiam salutaueritis: & tamen hoc dicendi modo minimè usus fuit, quãdo eos orare docuit, ut dixerit: Neminẽm sanctorum alloquamini. Quis enim hoc ferat (Hieronymus inquit) ut Deus sua charitate fruatur, cum creaturas diligit? Christi item humanitas cum charitate ad patrem interpellandum pro nobis accedat, cæteri uerò sancti in patria minime Deũ eiúsque filium imitantes, pigri dormitent: & ubi in maiori charitate sunt, omnino sileant?*Sed quid detestabilius? nempe ut uelitis uiuos posse orare,

¶ Cauillatio Protestantiũ in qua ad uomitũ redeũt, ne relicto Christo inuocemus sanctos.

* *Ext. de reliq. cap. cum ex eo.*

* *Hiero. aduer. Vigilã.*

ſe orare, quando onere carnis animæ depreſſæ ſunt, non autem quando exoneratæ, atque beatæ, facie ad faciē Deum uident, angelíſque comparatæ ſunt. * Quid enim impedit, quin cæteri ſancti in cœlo manétes, cū Angelo Tobię dato, & aliis, qui incéſum orationum noſtrarum Deo porrigunt, * preces noſtras Deo commendare poſſint?

* Auguſt. in quæſt. ſup. Geneſ. lib. 1. c. 3.

Tobiæ 12.

CAPITIS QVINTI §. QVARTVS.

De ſtatuis & pictura ſanctorum.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

¶ *Veneratio ſanctorū.*

DOminum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, ſcriptura inquit: * nónne? CA. Reſponde tu prius, an is qui Regem in terra ueneratur, mortaliter peccet? PRO. Minime, Petro dicéte: Deum timete, Regem honorificate.* CAM. Ergo ſcriptura falſa eſt, quæ dicit: Soli Deo honor & gloria. * PRO. Deo ille honor præſtatur, qui illius miniſtris exhibetur. * CA. Honor ergo iuſtè ſanctis præbetur, qui Dei miniſtri ſunt.* PRO. Non tamen paſſi ſunt Paulus & Barnabas ſeſe adorari.* CAM. Adoratione nimirum latria, *quam ipſis quaſi Diis offerre uolebant, dum holocauſtomata quoque

* Deut. 6. Matth. 4.
* 1. Pet. 2.
* 1 Timo. 1 d.
* Rom. 15. a.
* 1. Cor. 3. 4.
* 2. Cor. 3. 6.
* Act. 14.

afferebant. PRO. Sic quoque uos cereas imagines sanctis offertis, & cęteros cultus, qui soli Deo debentur. CAM. Quicquid illis exhiberi per nos, animo concipere tu poteris, Dei gloriam illustrat, ut gloriosus sit in sanctis suis: quā Paulus intuens, maiora dicere ausus fuit, quippe ut suppleant sancti in corporibus suis, quæ desunt passionum Christi. * PRO. Quid sibi hæc uolunt uerba? CAM. Cum enim Iesus non posset nisi semel mori, sua reliquit membra, quæ quotidie aut morti temporali absque causa condigna traderentur, aut separatione animæ à corpore, iustum sanguinem effunderent: ut ex omnibus unicus per Christum thesaurus in Dei Ecclesia constitueretur. PRO. Multos sensus præter hunc uerbis illis accommodant. CAM. Hunc illis adde. PRO. Cur saltem patimini, ut rustici illas picturas, uel sanctorum imagines latriæ adoratione uenerentur? CAM. Quid Ecclesiæ imputandum, quæ pro scriptura rusticorum, illas imagines in Ecclesia permanere permittit, ut pro gloria Dei, memores sanctorum uenerationis essent, illorúmque exemplo in iustitia uiuerent, quando ipsi aliter agunt? Sat est Ecclesiam sic suis canonibus declarasse: sic quoque concionatores palàm quotidie prædicare. PRO. Ea saltem ratione, quia huius scandali causa esse possent, omnino delendæ essent. CA. Acceptum, non autem datum est. PRO. Nónne

¶ Quomodo Paulus supplet ea quæ desunt paßioni Christi.

**Coloss. 1. d.*

¶ Rusticorū adoratio.

datum,

datum, Domino dicente, Ne facias tibi sculptile? *CAM. Fateor hoc præceptum traditum esse, quãdo scilicet idololatræ ex illo efficerentur, quemadmodum paulò pòst declarauit, quando euestigiò addidit: Non adorabis ea, neque coles. Perinde enim loqueris, ac si in arca fœderis angeli depicti nõ extitissent, *ac si Moyses serpentem adorandum non erexerit, *quẽ tamen adorando, Christum adorabant in serpente figuratum. *Hoc enim Ecclesia perpetuò prædicat, sanctorum uenerationẽ à Dei ueneratione longè distare: ut latria Deum, hyperdulia Christi humanitatem, uirginémque: & dulia sanctos ueneremur: picturámque illam tãquam necessariam, eam ob causam rusticis Ecclesiam dedisse, ut à uisibilibus ad inuisibilia tracti, mente omnia in Dei laudem speculari possent: itáque speculari, ut pro scriptura illa foret. PRO. Cur non audiunt? CAM. Quia nolunt. At scriptum est: Ignorãs ignorabitur. *Sæpe enim quæstio hæc in conciliis tractata est, an ne propter errorem, in quem aliqui ex rusticis incidere possent, imagines & picturæ omnino obliterandæ essent: & tandem, ne ea quæ per se bona sunt, & multos adiuuare possunt, propter ignauiã quorundam, qui intelligere nolunt, ab Ecclesia auferrerẽtur: Spiritui sãcto & illis uisum fuit. *Hactenus hæc dixisse sufficiat: in cæteris Hieronymum sequẽtes, qui omnes chimæras, quas olim

Exo d.20.

*Exod. 25.b.

Nume.21.

*Aug. in expo.epi.ad Galat.col.13.& in sermo. de temp. sermo. 40.ser.2.

*1.Cor.14.

*Syno.Nicæ. 2.actio. 4. ubi epi. Germani inseritur.

Vigilantius, nunc autem uos deblaterare soletis, rectè exclusit: illa lege, ne in transcribendo libros tempus conteramus. PRO. Nil quidem dicis, quare sancto Rocco aut Sebastiano, ut illorum nomine nominetur, templa quotidie ædificantur. CAM. Nónne sub nomine diui Petri templum Marcus domino erexit, quẽadmodum Anacletus & Leo testantur?* Hoc solo testimonio contentus sum, tametsi innumera afferre possem.

¶ *Erectio Ecclesiarũ sub nomine sanctorum.*

* *dist. 22. ca. sacrosancta. 24. q. 1. ca. cũ beatissimus.*

CAPVT SEXTVM.

Orationis summa.

DIANA. CAMERARIVS.

MElle mihi dulcior fuit oratio tua, Camerari, quibus Protestantium nugas seculi huius eliminasti. Non quidem aliam ob causam hoc prædicant, nisi ut piorum charitas refrigescat: ut catholicos religiosos, quos pro inimicis habent, depauperare possint. CAM. Rectè sentis. DIA. Regulas quasdam, illásque breues mihi relinqui à te uolo, quibus modus mihi explicetur, quem in offerendis Deo precibus, sequi debeamus. CAM. Ambrosij doctrinam proponam, cuius uerba hæc sunt: Oratio sit pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena grauitatis & ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa

termissa gratia. * DIA. Quid sibi Ambrosius uelit, haudquaquam intelligo. CAM. Pura illa oratio est, quæ è puro corde proficiscitur, ubi charitas inhabitat, quæ basis orationis est. DIA. Nónne peccator charitate denudatus, ut resurgat, orat? CAM. Vtique, sed tūc à charitate Dei principium habet: qui spiritu suo mouente, ad orandum peccatoris liberum arbitrium mouet. SIMPLEX item, ut à conscientia bona, & fide non ficta procedat. * DILVCIDA, atque manifesta, non autem confusa, sicut Cain oblatio fuit: cui dictum est, Si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti, quiesce.* PLENA item GRAVITATIS ET PONDERIS, ut prudés sit, Deum agnoscens, quem alloquitur,* in cuius conspectu neque pigri neque superbi accedere debemus. NON AFFECTATA ELEGANTIA, ut cum Ethnicis putes in uocibus benè inter se aptis, illorúmque multiloquio Deum orare. Non sic, non sic. siquidem negociū tale est, quod lachrymis cordéque contrito potius quàm ornatis uerbis aerem uerberando perficitur. * SED NON INTERMISSA GRATIA, quasi ab ipsa gratia exordium sumendum sit: pergendum item cum ea, interea dum oramus: atque in ipsa finiendū.* DIA. Probe quidem. CAM. Paulum adhuc audi, dum paucis uerbis eadem probat, inquiēs: [Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecra-

*Amb. lib.1. off.c.22.in fi.

*1.Timo.1.a.

*Gen.4.

*Ambro. de Cain & Abele, li.2.c.5.

*Matth.6. Psal.50.

*Diximus in li. de libe. ar. lib.1.cap.10.

¶ Qualitates orationis secūdū Ambrosium.

¶ Qualitates orationis secundū Paulū, quas Cananæa corā Christo seruauit.

tiones,poſtulationes,gratiarum actiones.]* DI. *1.Timo.1.
Nil uerba iſthæc concludunt. CAM. In quatuor partes orationem diuidendam eſſe, illo in loco Paulus cēſuit. DIA. Nequaquam hoc cerno. CAM. Quo nanque modo,dum aliquem de re aliqua rogare uolumus, haudquaquam arrogantes ſic incipimus : Ecce illud quod peto: da mihi : ſed prius aliqua uerba accommodamus, ut illius beneuolētiam captare queamus: * *Amb.de inſtitu. uirg. ad Euſe.ca.2.
eodem Paulus primam orationis partem à Dei laude proficiſci debere nobis in propria ſua perſona commonſtrauit: qui cum modum orandi Timotheo ſcribere conſtituiſſet, principio ſic ait: Gratias ago ei, qui me confortauit in Chriſto Ieſu Domino noſtro,quia fidelem me exiſtimauit.confitens paulò pòſt, Ieſum Chriſtum in mundum ueniſſe,ut peccatores ſaluos faceret, quorum primus ipſe erat. *Quid enim prudentius proponere potuit, ut Deum ad miſerēdum flecteret,ſpem ſimul in corde ſuo quòd exaudiretur augens? (Cananææ exemplo, quæ principio ſic orare cœpit: Miſerere mei Domine fili Dauid.uerbum incarnatum Chriſtum eſſe con fitēs,dum Dominum propter diuinitatem, Dauidis autem filium propter humanitatem ipſum eſſe fatebatur.) * Secundo uerò loco rogat Paulus,fieri obſecrationes: hac uoce oſtendens ſecundam partem orationis,res quas petimus, cōtinere debere (ſicut Cananæa ſecundo loco fecit,

*1.Timo.1.d.

*Matth.15.

cit,quando dixit: Filia mea male à dæmonio uexatur.) Tertiò item tertia pars orationis subsequitur, nimirum ut non solum Deo ea, quibus egemus, declaremus, uerũetiam ut illa petamus, sicut scriptum est, Petite, & accipietis. (quod & Cananæa quoque obseruauit, cum paulò pòst iterum dixit: Domine, adiuua me.)* Et quarto gratiarum actio. *DIA. Quas gratiarum actiones, interea dum oramus, reddere quimus, si adhuc gratiam quam poscimus, consecuti non sumus? CAM. Prima gratiarum actio hæc erit, ut Deo gratias agamus, qui nos ad orãdum uocauit. Secunda, quod spiritu suo nos docuit quomodo oporteat orare. Tertia, quia is orat qui sine hæsitatione credit se id accepturum quod petit, ita ut pro acceptis quodammodo ea quæ petit habeantur, quando ea per Christum petit, quæ Dei maiestatem deceat dare: quasi nõ solum gratias Deo habeat, qui illum orare præstitit, sed quod oratione duce, fide, quæ per charitatem operatur, spem iustitiæ expectauit,* certa talẽ spem haudquaquam cõfundere.* Quis enim hæsitare poterit, ubi ex toto corde orans, animaduertat illum se deprecari, qui etsi ex æquo iustus & misericors sit, proprium tamen illius est misereri & parcere? illum, inquam, qui omnium perpetuò misertus est, minus quàm merentur, puniens damnatos, plus etiam iustis tribuens quàm mereantur. Habes igitur, quomo-

*ut suprà.
*Amb. de sacram. lib. 6. cap. 5.

¶ Gratiarũ actiones, quas in medio orationis habemus.

*Gala. 5.
*Rom 5.

do oratio partienda ſit, ut dilucidam eam Deo offeras, reliquáſque qualitates, in quibus ipſa oratio conſiſtit, obſerues. DIA. Quid ego in me ipſa, cum ad orandum accedo, agere obligor? CAM. Ipſamet quaſdam qualitates ex his quæ antè ſunt explicata, colligere ueluti epilogo quodam poteris, ut orationis qualitates implere queas. DIA. Quas tu colligas, audire opto. CA. A cordis compunctione incipere debes, ut de peccatis, ſiqua adſunt, (ſaltem occulta) corde contrito, ſpiritúque contribulato, doleas: * dolendóque animaduerte Dei donum eſſe pœnitentiam ipſam. * Et poſt hoc genuflexa corpore, aut ubi ſtes, genuflexa mente, cantans cum Paulo in corde tuo, * montem cum Chriſto aſcendens, atque ſolam humilitatem pro uexillo præ oculis retinens, ſumma cum pace in ſpiritu & ueritate ora: quandoquidem ſcriptum eſt, Deum reſpicere in deprecationem humilium, nec ſpernere preces illorum: * ſuperbis autem reſiſtere. DIA. Modum ut humilis efficiar, oſtende. CAM. Humilitatem confeſtim aſſequêris, ubi expendas in peccatis conceptam te eſſe, illíſque onuſtam: ubi quoque Dei rigoroſum examẽ in die iudicij futurum cogitare incipias: credens oratione poſſe Deum placare, ne ardentes inferni flammas intres: quæ ſic animas Hieronymi & Bedæ ſola cogitatione contremiſcere faciebant, ut mox omnem humilitatem amplecte-

Marginalia: ¶ Quid agere debeamus quãdo oramus. ¶ Cordis cõpunctio. ¶ Cogitans à Deo pœnitentiã eſſe. ¶ Genuflexa corpore, aut mente. ¶ Cantãs in corde tuo cũ magna humilitate. ¶ Modus aſſequẽdæ humilitatis. *Pſal. 50. *Act. 11. Coloſ. 3. *Pſal. 10.

plecterentur. Itaque humilis facta, intra cubile tuum, ubi mẽte orans, itidem & corpore, in medio horum duorum ille stet qui dixit: Si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re
Matth.18. quãcunque petierint, fiet illis à patre meo. hãc animæ & corporis coniunctionem in oratione quoque (ut ait Ambrosius) his uerbis ostendens.* Iísque hunc in modum coniunctis, clama, ne cesses, donec misericordiam consequaris, tandiu longa oratione pernoctans, quandiu anima tua in ipsa oratione propter spiritus Dei assistentiam delectatur. Vbi autem defessa esse incipias, quiesce, atque ad cętera Christiana opera animum conuerte. Christiana dico, ne uitam actiuam excludamus, in qua gratia comite ambulans, beata quoque esse potes. DIA. Paulò antè illam esse ueram orationem dixisti, quæ nihil hæsitat id accipere quod petit: modum autem non hæsitandi, tacuisti, qui in oratione præcipuus est. CAM. Vis non hæsitare? DIA. Nil magis opto. CAM. Incipe Dei misericordiam contemplari, qui proprio filio non pepercit, ut non modò pro toto mundo, sed pro te sola morti traderetur: quemadmodum Paulus testatur cum inquit, Pro te mortuus est.* pro me mortuus est.* Te quoque Christianam esse in sanguine Christi mundatam: quæ etsi aliquando peccaueris, pœnitentiam tamen à Domino obtinuisti, (magnum certè prędestinationis signum,

*De institu. Virg. cap. 2.

¶Quando longa.

¶ Doctrina ut non hæsitemus.

*Rom. 14. c.
*2. Cor. 5. d.
Gal. 2. d.

ut persæpe peccando sæpe tamen Dei gratia nos pœniteat: sicut contra, pessimum signum reprobationis est, quando obdurati uitam ducimus) deinde uerò eo modo quo Iesus iubet, ut uncto capite, lotáque facie, uestibúsque preciosis ieiunemus: * quasi non liceat coram Rege absque suauitatis odore comparere. uestem nuptialem charitatis an habeas, euestigiò animaduertas: quod uel hoc uno argumento dignosces, nempe an opera, quæ per charitatem operata es, habeas, quæ Deo exhibere possis. DIA. Quæ ego sum, ut Deo ipsa opera, quasi à me sint, pro causa, quare exaudiri debeã, proponere audeam? CA. Non hoc dico, ut Pharisæum superbum imiteris: immo potius ut opera tua Deo enarrans, tibi ipsi spem accrescas æternæ salutis: inquiés, Bone Deus, nónne tu dedisti ut uias tuas exquirerem? nónne tu, ut hoc, uel illud sperarem? nónne tu adiutor, quando in aliquo legem seruaui? DIA. Quid hoc dixisse iuuabit? CAM. Sic enim Propheta dicebat: Viuifica me, quia mandata tua exquisiui, quando scilicet tu diuina tua sapientia me uocabas, ego uerò terrena sapientia accedebam, ut coniungerentur ambæ. Hoc enim, præterea nihil, in Psalmo, Beati immaculati in uia. * Propheta agit, opera nimirum quæ gratia comite operatus fuerat, recensere. DIA. Quapropter, si Deus non mutatur? CAM. Minime eam ob causam isthæc narrat, ut Deũ mutet: immo

*Matth. 5.

*Psal. 118.

mo potius, ut de ſpe in ſpem, quam in corde ſuo augebat, ſecurus quodammodo in uia pergeret: ſciens eum qui cœpit opus, illud perfecturum: quem & tu poteris imitari, certa quòd dum oras, à Domino id habes ut ores, qui te (ut alibi dixi) ad orationem non uocaret, niſi uellet dare. * DIA. Non hæſitare, ſicuti in quodam loco legimus, & cum timore & tremore ſalutem operari, quẽadmodum in alio ſubiungit, ſatis inter ſe contraria ſunt. CAM. Cum proprium timoris obiectum Deus ipſe ſit, reſpiciendo iuſtitiam quæ in Deo ineſt, cum timore & tremore noſtram ſalutem operari Paulus docet, ſciẽtes quòd peccatorum noſtrorum iudicem habeamus. nõ autem dixit ita, cum timore & tremore orationem ipſi Deo porrigendam eſſe, ut hæſitantes oremus. Siquidem è regione cum miſericors idem Deus ſit, ipſe ſpei noſtræ obiectum ex æquo etiam eſt, in quem ſperando, ſpes ipſa haudquaquam confundit.* unde prouenit, ut abſque hæſitatione petamus, ut per ſubminiſtrationẽ ſpiritus Ieſu Chriſti ad patrem accedamus. Et ubi uariæ interea temporis tentationes occurrant, quæ piam orationem tuam uel in paucis impediant, ſat eſt (ut alibi diximus) ut diſpliceant, Dominúmque orare, ut expellantur. DIA. O quàm difficile eſt iniurias ab inimico acceptas in mentem uenire, & nullo modo commoueri? CAM. O quàm facile, ubi animaduertas Satanæ filios

Ambr. epi. 84. Aug. de uer. dom. ſer. 3.

Rom. 5.

¶ *Quid illud cũ timore & tremore.*

¶ *Quomodo tentationes, quæ in medio orationis adueniunt, contemnamus.*

¶ *Inimicis parcere, res facilis eſt.*

esse, qui cum patris arduum iugum se ferre constituerunt, non possunt deinde bene aut loqui aut operari, sed patris duntaxat opera facere, interea dum tanquam phrenetici à contrario spiritu detenti, maiorem nostra ipsi persecutioné patiuntur. DIA. Quotiens in die orandum? CA.

¶ *Quotiens in die orandum.*

Media nocte Propheta laudem dicebat.* Per ipsam noctem, tum tempus tribulationis, tum etiam tempus noctis ostendens. Deinde autem, sexies in die orationi quoque intentus erat, quémadmodum alibi inquit, Septies in die laudem dixi tibi.* Quem ordinem cótemplatiui sequuntur, matutinum & laudes pro una hora reputantes, primam, tertiam, sextam, nonam, uesperas, & completorium illi addentes. Daniel uerò ter in die orabat. Itidem & Esdras. quem planè modum Propheta quoque seruaturum se spondet, cum inquit, Vespere & mane & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet uocem meam.* Chrysostomus tamen docet, in principio diei, in principio mensæ, in fine diei, & in fine mensæ orandum esse.* Tuum igitur erit eligere, quãdo ores, modò aut orando aut benè operãdo uitam bonam ducas. Siquidem, ut dixi, is sine intermissione orat, qui fide per charitaté sine intermissione operatur, saltem desiderando regnũ Dei. Hactenus de ipsa oratione, cęteris de industria omissis, quę facilè iis addere potuissem, ne lõga lectio tuũ & cæterorũ legentiũ animos à lectione abduceret.

Psal. 118.h.
Ibidem.
Psal. 58.c.
Chryso. de orando Deũ. lib. 1.

FINIS.

DIALOGI DE ELEEMOSYNA

CAPVT PRIMVM.

Charitas ipsa quid sit: & quem in modũ miseratio à misericordia: misericordia uerò, à charitate oriãtur.

CAMERARIVS. DIANA.

VErba de ipsa misericordia facturi, quæ charitatis effectus est: in primis quidnam ipsa Dei charitas sit, intelligamus: ut deinde ordinem, quomodo à charitate misericordia, à misericordia miseratio oriantur: quídue harum unaquæque sit, penitus perci-piamus. DIANA. Probe. CAM. Cæteris igitur posthabitis, quæ ad magnificentiæ, beneficentiæ, beneuolentiæ, atque liberalitatis officia, quatenus morales uirtutes sunt, attinent: de ipsa charitate, misericordia, & miseratione agam. DI. Quid impedit, quin hæc omnia simul examinentur? CAM. Magnitudo ingenij nobilis uiri Francisci Vicomercati, Philosophi hac ętate grauissimi & celeberrimi, mihi impedimento est: qui de liberalitate & beneficentia grauiter ornatéque scriptum ad te librum nuper misit, in in quo ille doctè, ut solet, & copiose hac de re

agit, ut iam nihil ſit neceſſe nouum laborẽ illis explicandis ſumere, immo uerò pręclarè mecum actum putabo, ſi rectè quæ Theologorum ſunt, illis addere potero. DI A. Ab ipſa igitur charitate exordiamur, intelligentes quid charitas ſit. CA. Magnum Theologorum diſſidium, hac de re aliquando audiſti? an Ioanne dicente, Deus charitas eſt, amor inquam ille, qui à patre & filio procedens, ſpiritui ſancto tribuitur: cum in cordibus noſtris diffunditur: ipſe idem ſpiritus Dei ſit, hunc uel illum actum in anima operans. an uerò aliquid à ſpiritu ſancto in anima creatum. DIANA. Quid in re hac tu ſentis? CAME. Duas ob res haudquaquam à me tecum iſthæc tractanda ſunt: quarum altera eſt, ne his ſubtilitatibus mentem tuam confundam: altera uerò, quia ſcopus noſter minimè hic eſt, ut ab ouo, quod aiunt, rem hanc narremus: ſatis cum ſit, quantum ad inſtitutum noſtrum attinet, apertè agnoſcere, charitatem tale bonũ eſſe, quo nihil penes pios melius ſit. ſiue illa eadem charitas increata ſit, qua ſeipſo Deus fruitur, cæteráſque creaturas diligit: ſiue uirtus creata (ut aliis uiſum eſt.) cæterarum uirtutum mater, atque forma. DIA. Ipſam igitur miſericordiam intelligamus. CAM. Aliter miſericordia in Deo, aliter in homine ipſo manet. DIA. Quæ diuerſitatis ratio? CAM. Ne putes miſericordiam Dei talẽm eſſe, ut ſecundum quandam animi paſſionem

¶ *Charitas quid.*

¶ *Miſericordia quid.*

nem maneat, ut uocabulum ſonat: ſed potius ut ex affectu uoluntatis, nil penitus patientis in eo inſit: bonitas nimirum ipſa diuina, quæ benefacere ea ratione nũquam deſinit, quia proprium Dei opus eſt miſereri, longe ab hominis miſericordia diſtans, quæ paſſio eſt alienæ miſeriæ, in corde retentę: animam noſtram (ut ſi poſſumus) proximo ſubueniamus, impellens. DIANA. Vnde impulſus iſte? CAME. Meminiſſe te exiſtimo, quomodo Deus, qui charitas increata eſt, hac charitate motus, creaturas, ut eo fruerentur, creauerit: quas ipſe prius dilexit, ut deinde ipſum charitate comite redamarent: * eamque ob cauſam homines ipſos in iuſtitia creaſſe: iubens ſua lege æterna, quam imitari antè dilectionis mandatum tenebamur, ut eo modo, quo Deus ſe & creaturas dilexit, itidem nos, Deum ipſum ex toto corde, & proximos ſicut noſmetipſos diligeremus. DIA. Fœdus ergo quoddam amicitię ſocietatíſque inter Deum & hominem hunc in modum contractum eſt, ut idem homo uelit, quod Deus ipſe uult. CAM. Iccirco dicebat Ieſus, Vos amici mei eſtis, * Ioãnes item: Vt & uos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto. * ut ex his præter mandatum, in lege Moyſis præceptũ obligationem hanc dilectionis Dei & proximi, ad quam imitãdo tenemur, apertiſſime agnoſceremus: ſcientes quemad-

*1 Ioan. 4.

*Ioan. 15.

*1. Ioan. 1. b.

modũ ille, ſic nos quoq; ambulare debere.* DI. *1. Ioan.2.
¶ *Miſeratio quid.* Supereſt ut de ipſa miſeratione nunc agas. CA. Nil aliud ipſa miſeratio eſt, quàm uſus ſeu effectus miſericordię, à charitate prouenientis, dum actu miſericordiæ opera exercemus: ſiue ſpiritualia, ſiue corporalia, ſiue mixta ſint: de quibus in hoc libro nos acturi ſumus, id denique ſperantes, ut rectè miſericordiæ operibus expenſis, cum Ioanne dicere audeamus: Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus.* *1. Ioan.3.a.

CAPVT SECVNDVM.

Ordo charitatis, ut Deum ex toto corde, & proximos ſicut noſmetipſos diligamus.

CAMERARIVS. DIANA.

CVm quatuor à nobis diligenda, ſcriptura proponat: Deum nimirũ, proximũ, corpus propriũ, & noſmetipſos integros: dilectionis modus principio inſpiciendus erit, ne turbato ordine, diligendo, ac miſerendo, nos ipſos confundamus: Salomone pręſertim dicẽte, Introduxit me in cellam uinariam, ordinauit in me charitatem.* ¶ *Dilectionis ordo.* quaſi is ſancte & iuſte uiuat, qui rerum integer æſtimator eſt: ne aut diligat quod non *Cant.2. eſt diligendũ, aut nõ diligat quod eſt diligendũ: aut magis diligat, quod minus eſt diligendum:

aut

aut æquè diligat, quod uel minus uel magis diligẽdum est: aut minus uel magis, quod æquè diligendum est. *DIA. Quid istud? CA. Ut eo modo, quo fides principaliter de Deo est: ac deinde de his quæ tendunt ad Deũ, itidem charitatis ordo hîc sit, ut Deum principaliter ex toto corde diligamus, cætera uerò ordine ad Deum. DI. Quid uerba illa ex toto corde significant? CA. Vt modus amandi Deum, absque modo ipsum amare sit. * Quasi ex toto corde is Deum amet, qui nil aliud in eius corde quàm Deum habet. sic enim contemplatiui eum diligere laborant. Amant hi quoque ex toto corde Deum, qui nil in corde habent non ordinatum ad Deum. Illi nimirum qui in uita actiua, beatam quoque uitam ducunt, uxores, filios, & bona, ordine ad Deum diligentes. * DIA. Putás ne tu posse contẽplatiuos in uia peregrinationis huius, Deum ex toto corde amare? CAM. In patria uera dilectio ex toto corde perficietur: interim uerò, sufficit nos Deum ex toto corde secundum id quod habemus diligere: ut hunc in modum diligendo, gratia comite legem impleamus. * DI. Deus ergo ab omnibus, ac supra omnia, ex toto corde diligendus? CAM. Itáque diligendus, ut propter se ipsum Deus diligatur. DIA. Nónne spes charitatem præcedit? CAM. Omnino, ubi ordo generationis consideretur. DIA. Sed spes aliquid sperat. CAM. Ita est. DIA. Ergo

*Aug. de doctri. Christ. c. 27.

¶ Quem in modũ ex toto corde Deũ diligimus.

*Hier. in lib. de amando Deum.

*Dixi in lib. de uera Eccl. Dei, in nostro Philosopho: ex cap. 7. ad Cor. 1.

*Dixi in lib. de libe. arbi. lib. 3.

¶ Deus propter se amandus.

Deus non propter ſe, ſed propter aliud amatur. CAM. Quoniam literati uiri, quem in modum uox illa (propter) uſurpetur, ſatis intelligũt, poſthabitis ſyllogiſmis, quibus in hoc colloquio minime utendum eſſe cenſeo, paucis rem abſoluam, ut tu quomodo Deum principaliter propter ſe ipſum, plus nobis diligere obligemur, recte noſcas. DIA. Perge. CAM. Si hominem uirtute præditum propter ſe ipſum diligimus, nonne multo magis Deus ipſe, qui omniũ uirtutum elargitor eſt, ſupra omnia propter ſe ipſum diligendus erit? DIA. O quot homines ſunt, qui Deum uel timore pœnæ diligunt, ſeu magis timent, uel ob id, quod ab eo propter ſuam commoditatem ſperant. CAM. Non quidem nego, quin cum hac dilectione, altera ſtare poſſit: quippe ut ſimul, qui Deum propter ſe diligit, propter beneficia quoque accepta, ſpem item accipiẽdorum, útque mala eius protectione uitare poſſit, illum diligat. Sic enim orationis dominicæ ordo docet, quemadmodum alibi à nobis explanatum eſt.* non tamen efficere poterit, quin Deum perpetuo propter ſe ipſum primum diligat. DIA. Quapropter? CAM. Eſt enim Deus ſummum atque uniuerſale bonum: à quo, naturam, gratiam, & gloriam habemus: quod ubi cognouerimus, fieri non poteſt, ut propria cõmoditas, ipſam Dei dilectionem præcedat. Quis enim bonum quod ſperat, aſſequi

* *Lib. 2. de orat.*

aſſequi poterit, ubi Dei potentiam, bonitatiſque eius uirtutem, id elargituram quod ſperat, ante omnia non credat, credẽdóque non ſolum ipſum Deum prius diliget, uerumetiam & charitatem, quæ nos ex toto corde Deũ amare poſſe effecit? Proximúm ne quiſpiam diliget, qui Deum ſimul non amat: Deum itẽ, qui proximum non diligit, quando opere diligendus eſt? ſane non, Ioanne teſte cũ ait: Siquis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt: qui enim non diligit fratrem ſuum, quem uidet: Deum quem non uidet, quomodo poteſt

*1.Io.4.in fi. diligere? *& alio in loco, Qui habuerit ſubſtãtiã huius mundi, & uiderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo

*1.Ioan.3.c. Dei charitas manet in eo? *Sic enim coniuncta ſunt, ut minime Paulus dicere dubitauerit: Qui

Rom.13.c. Gal.5.c. diligit proximum, legem impleuit. & alibi Iu-

Epiſt. Iudæ. das, Voſmetipſos in dilectione Dei ſeruate. quibus addere nos poterimus, ac dicere, Qui ſe recte diligit, legem ſeruauit. DIA. Quid iſtud? CAM. Tanta planè huius charitatis eſt uis, atque robur, ut ſui ipſius quoque amorem iuſtum ac uerum habere quiſpiam non poſſit, niſi ab hoc charitatis fonte oriatur. DIA. Quo authore loqueris? CA. Semel enim quod ſcriptura iubet, ut proximos ſicut nos ipſos amare debeamus: ſatis cõſtat, ut eadem charitate, qua proximos diligere aſtringimur, nos quoque diligamus: nõ

autem mundano amore;qui longe à Dei charitate diſtat.* Itaque amando is ſe amet, qui non corpus duntaxat, ſed animam ſuam quoque diligit: quam amare non poteſt, ſi Deum ex toto corde, & proximum ſicut ſeipſum non diligat. Hinc plane Auguſtino placuit, ut quiſquis ſeipſum, nõ Deum amat,ſe non amet:& quiſquis Deum, non ſeipſum amat,ille ſe amet:qui enim non poteſt uiuere de ſe, (inquit ille) moritur utique amando ſe: non ergo ſe amat,qui ne uiuat ſe amat.*

*1. Ioan. 2. c.

*Aug. in 21. Io. tract. 123.

CAPITIS SECVNDI §. PRIMVS.

Fraternæ dilectionis ordo.

DIANA. CAMERARIVS.

¶ An plus nobis proximos diligere debeamus.

CVm audio eo modo proximos à nobis diligendos eſſe, ſicut noſmetipſos diligimus: apertè tali uinculo nos colligatos eſſe intelligo, ut nemo magis ſe diligat quàm proximũ ſuum: immo illum magis, ubi talem proximum proponeremus,qui propter maiorem iuſtitiam, magis,proximus ipſi Deo eſſet. CAM. Dic quæſo an iuſtior te,magis proximus ſit tibi, quàm anima tua? DIA. Nequaquam. CAM. Parum igitur refert, ut Deo tãquam charitatis obiecto, magis

magis coniunctus ille sit:modo in ipsa dilectione nostra quæ à nobis oritur,non sit coniunctus magis. DIA. Quid Paulo respondere poteris, cum inquit:Charitas non quærit quæ sua sunt.* CAM. Augustini authoritate doctores respondere solent, ut communia propter charitatem propriis anteponantur. DIA. Quid tu sentis? CAM. Multa in re hac examinanda essent, nẽpe an Paulus damnari pro populo Israelitico elegerit, quando dixit, Optabam ego anathema esse pro fratribus meis.* Similiter & Moyses cum ait: Aut dele me de libro tuo quem scripsisti,aut dimitte eis hanc noxiam,* ac quomodo Pauli uerba intelligenda sint, quando dixit: Omnia omnibus factus sum, ut omnes lucrifacerem. DIA. Hæc omnia, si placet, explana. CA. Alio in loco explicata à me fuerũt. DIA. Quid interim tu respondes? CAM. Vt quo modo uerba illa, Charitas omnia credit, omnia sperat: sic clara uoce interpretantur, ut credenda credat, speranda sperat: itidem dicamus, ut quæ sua sunt non quærat, quando scilicet quærenda non sunt.ut pote si salutem animæ proximi consideremus,pro qua,charitas ipsa,proprij corporis incolumitatem non quærit: immo potius illud pro anima proximi ut saluetur,exponit.* Cõtra uerò cum de salute propriæ animæ agitur: tunc enim animam propriam, pro proximi anima saluanda perdendam esse nequaquam charitas

*1.Cor.13.b.

¶ Charitas non quærit quæ sua sũt.

*Rom.9.

*Exod.32.

*Ioan.15.b.

iubet. Nec corpus proprium, pro proximi corpore, trucidandum præcipit: neque necessariũ cibum sibi, filiis, atque domesticis pro cuiusque dignitate subtrahit: sed superflua conseruat, ut in pauperum usus illa conuertere possit: nisi necessitas talis urgeat, quę proximum prius magis indigentem cibare obliget. DIA. Aliquod præbe exemplum rogo, in quo Pauli doctrinam locum habere percipiam. CAM. Pone aliquem fame perire, num Christiani officium erit, ut quispiam uentrem suum saturando, partem panis, quem diuidere poterat, ei deneget, ac denegando illum necet? proindéque Ambrosij uerba illa audiat: Pasce fame morientem: si non paueris, occidisti.* Pone rursum nudum incedere supra niues, sicut sæpe in bello uidi: & quispiam optime uestitus, non modo pallium, sed uestem ad resistendum aquis habeat, nónne illum spoliauit,* quando absque pallio saluus fieri poterat, & illum suo pallio non cooperiendo occidit? Pone denique infirmum præ inopia mori, num Christianum erit partem cibi tui non minuere, ut ei uitam conserues? ponderanda quidẽ iusta statera ista sunt, ut data æqualitate inter animas, corpora, & cõmoditates charitatis lege tibi prius succurras: ubi uerò inęqualitas adsit eo modo, quo pro anima inimici corpus exponimus: æqualiter bona propria pro corpore proximi exponere, immo & aliquid perpeti in corpore

*In libro de nabuthe. c. 1. & in Cõmentariis Lucæ, c. 18. de hon. parentibus.

*Iob 22. a.

pore debemus, ne alterius corpus omnino pereat. Chriſtiana ſanè miſericordia, immo Dei mandatum hoc eſt. DIA. Conſilium dedit Daniel. * CAM. In re tamen quæ ſub præcepto non cõcludebatur. DI. Qua ratione iuſtum præceptum eſſe poterit, ut nobis & filiis neceſſaria, aliis egentibus demus, Luca dicente, Quod ſupereſt, date eleemoſynam? CAM. Præceptum hoc perpetuum eſt, ut ſuperflua indigentibus elargiantur. At nos nõ communem, ſed eam neceſſitatem nunc proponimus, cui omnino ſuccurrendum ſit: ne claudẽdo uiſcera, proximum occidamus: itaque charitatem ueteri atque nouo mandato præceptam penitus cõtemnamus: quandoquidem mandatum hoc, nequaquam lingua, ſed opere & ueritate, ut antè dictum eſt, impletur. DIA. Conſilij potius hoc opus ſupererrogationis eſt, quàm mandatum Dei. CA. Non contradico: Sed quis charitatem in eo habitare dicet, qui panem famelici fame pereuntis fraudat, nudique tunicam ut frigore pereat, aufert? num idcirco ſic uiuit, quia ignorat quid craſtina allatura ſit dies? hóccine Chriſtianum opus eſt? ubi frater culpa tua perit? Paulum interrogemus, & mox ſic reſpõdebit, Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulas: noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* hoccine Chriſtianum, ut ſuperflua ſollicitudine

*Daniel. 4. d.

*Lucæ 11. f.

*Rom. 14. c.

¶ *An præceptũ uel cõſiliũ, ipſa miſeratio ſit.*

filiorum, fratrem tuum fame perire dimittas? Domino dicente, Noli de craſtino cogitare. quęrite regnum Dei, & omnia hæc adiicientur uobis.* DIA. Nil nobis reſeruandum? CAM. Omnino nihil (ſaltem propter conſilium) ubi talis neceſſitas urgeat, ut frater pereat, & tu adhuc alia uia uiuere poſſis. DIA. Quid cum neceſſitas deſinit? CAM. Quæ tibi ſuperſunt duntaxat, pauperibus elargiri obligaris. Atqui ſi perfecta eſſe uelis, tunc optimum cõſilium erit, ut omn a uendas, des pauperibus, & Chriſtum ſequaris. DIA. Satis quidem in propriis bonis noſtris Deus ipſe nos onerauit. CAM. Propriis? immo ſolius Dei, qui illa nobis dedit: nil ultra à nobis exigens, præter id quod præſtitit ipſe.*

*Matth. 6. d.

*Augu. de ſalu. doct. c. 31.

CAPVT TERTIVM.

Eleemoſynæ qualitates.

DIANA. CAMERARIVS.

ECce iam uidimus, quem in modum Deum & proximos diligere obligemur, & quando proximum nobis, uel nos proximo præponere debeamus: Supereſt modo, ut miſerendi regulam intelligamus. CAM. Omnes partes has miſeratio ipſa in ſe continere debet: quippe ut propter Deum, pro ſe ipſo, hilariter, cum humilitate

litate, de ſuo, omníque petenti, abſque mora, magna cum prudentia elargiatur. D I A. Placeat obſecro, ne mentem meã iſta confundant, ſingula explicare. C A M. Poteris itaque de ſingulis interrogare, ut deinde quaſi ad quæſita ego reſpondeam.

CAPITIS TERTII § PRIMVS.

Propter Deum.

DIANA. CAMERARIVS.

CVr propter Deum eleemoſynam dandam eſſe dixiſti? C A. Eam potiſſimum ob cauſam ꝓpter Deũ exhiberi eleemoſyna debet: quia bona, quæ proximis erogamus, haud à patribus noſtris tanquam paterna, in quibus nemo uſum habeat, quin potius tanquam Dei bona ſuſcepimus. qui per quædam diuerſa media, eorũ quoque quæ nos ipſi acquirimus, ſua prouidentia tum proprietatem, tum neceſſarium uſum nobis liberaliter elargitur: iubens ut reliquorum quæ ſuperflua ſunt, prudentes diſpenſatores inter illos ſimus, quibus ex'æquo uſum in cæteris dedit. D I. Aliud eſt nos ab ipſo accipere, quàm propter ipſum dare. C A M. Vtrunque propter Deum. D I A. Vnde tu iſta hauris? C A M. Memor uerborum Petri tu es, quando dixit: Hoſpi-

tales inuicem ſine murmuratione eſtote, unuſquiſque ſicut acceperit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex uirtute quam adminiſtrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus, per Ieſum Chriſtũ, cui eſt gloria & imperium, in ſecula ſeculorum, amen. * 1. Pet. 4.
DIA. Memini. CAM. Omnium ergo quæ à me paulò antè explicata ſunt, teſtimonium nũc habes: nempe ut tam bona temporalia quàm ſpiritualia, per quæ tum in ſpiritualibus, tum corporalibus operibus miſericordiæ, animam exercemus, ſolius Dei ſint: nos uerò tanquam diſpenſatores ipſius, ad hoc propoſiti, ut propter eum ſicuti iubet, hæc omnia faciamus. Damus quoque propter Deum, ſiquidem niſi ex charitate fiant (de qua Petrus agit) nullum in ſe meritum haberent. Charitas autem illa eſt quæ in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum diffunditur, ut Deum ex toto corde, & proximos ſicut noſmetipſos diligamus: diligẽdóque, atque proximorum commiſerendo, aliquid mereamur, ſicut ſcriptum eſt, Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. * DIA. Recte igitur Sirach, Spiritu ſancto dictante, in uerba illa prorupit: Sicut aqua ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. * CAM. Optima quidem comparatio eſt, ſi comparationis cauſam intelligas.

*Pſal. 111.

*Eccle. 3. d.

¶ *Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum.*

intelligas. DIA. Quam? CAM. Iccirco comparatio eleemoſynæ ad aquam fit, ut ignem æternum quem propter peccata meremur, ſic per eleemoſynam in charitate datam extingui noſcamus: ſicut aqua, ignem quem uidemus, ſua uirtute extinguit. DIA. Propria ergo uirtus eleemoſynæ eſt, ut peccata remittat? CAM. Iſto modo propria: quia cum eleemoſynã elargimur, Chriſto damus, qui fons eſt aquæ ſalientis in uitam æternã, * unde aquam haurimus, quæ omnia noſtra peccata extinguit. Ipſe nanque unicus mediator, aduocatus, & propitiatio pro peccatis noſtris eſt: * unicúſque Sacerdos, per quem omnia opera noſtra Deo offeruntur. * Ille inquam, qui cum dixit, Date eleemoſynam, & ecce uobis omnia ſunt munda, huius aquæ meminit, in quam miſeratio conuertitur: ut hac aqua anima ab omni labe mũdetur. DI. Nullũ certè adeo durum cor inueniri poſſe puto, quod Chriſto Dei filio, panem à patre idcirco datũ ut filio in perſona pauperis illum petenti demus, audeat denegare: ſibi nãque datam, ubi detur: ſibique denegatam ubi denegetur, ait. * CAM. Omni charitate denudatum eum eſſe cenſeo, qui dum Chriſtum in ore Dauidis clamantem audit, Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſollicitus eſt mei: * miſericordiæ uiſcera claudens, nec micam propter Deum filio dare uult. DIANA. Satis auarus ille homo eſt, qui

*Ioan. 4.
*I. Ioan. 2.
*I. Timo. 2. Hebr. 7.
Iſaiæ I.
*Matth. 25.
*Pſal. 39.

Chriſto Dei filio, partem bonorum paternorum petenti denegat, à quo ipſe regnum cœlorum flagitat. utinámque propterea eum dare debere ſaltem expẽderet, ut cum fœnore in patria multo maiora ſuſcipiat. CAM. Demus igitur propter Deum & Ieſum Chriſtum filium eius, ut fœnus hoc traiectitiũ facientes, * per Ieſum Chriſtum æternam ſalutem à Domino conſequamur. Non tamen ita demus, ſicut Ethnici quoque dant. DIA. Quid illi faciunt? CAM. Aut enim idcirco dant, ut iram uitent, * aut ob ſpectaculum cõmiſerabile mouentur, dum pauperem ægrotum conſpiciẽtes, ſibi quoque id accidere poſſe cogitant: itaque in paupere, ſui non illius miſerentur. dant quoque illi ſicut & cæteri peccatores dant, bonum opus ſecundum naturam à generali influxu motam operantes, ut hîc bona terrena obtineant, & in corpus ſuum, non autem in animam mercedem operis recipiant. * Nos autem pauperem in nomine iuſti recipiamus, ut mercedem iuſti obtineamus, ne aliter dando, ut pote ſi propter ſeruitia ſub nomine proprio accipientis, non autẽ diſcipuli dederimus, Chriſtũ expellamus, * expellendóque ueracis ſcripturæ ſententiã experiamur, quæ ait: Qui obturat aures ad clamores pauperum, ipſe clamabit, & non exaudietur. * Quis enim adeò imbecillis, qui cùm hęc uerba audierit, Date & dabitur uobis: * panem frumẽti protinus non det, ut

¶ Eleemoſyna pro ſalute animæ.

*Aug. ho. 29.

*Prou. 21.

*Chryſoſt. Matth. 10.

*Matth. 10.

*Prou. 21.

*Lucæ. 6. f.

ut panis iustitiæ Christus ei detur?certus ꝙ si pane ad dandum careat,& panis loco, poculum aquæ frigidæ exhibeat, absque remuneratione haudquaquam erit. Ad hoc itaque sacrificium per Iesum Christum patri offerēdum abundantius in diebus festis properemus: nil aliud nisi propriam familiam enutrire existimātes: quam cibo grosso populari,in abundantia, dierum festorum tempore pascendam esse Bernardus docet. * ut gratias Deo dantes, ipsi quoque diem illum sanctificando,pro salute nostra feruentius orent.& ubi fortasse taceant,ipsa saltem eleemosyna in sinu pauperis abscondita, pro nobis absque intermissione oret. *

** Ber. in serm. in festo Paschæ.*

**Ecce. 29. b.*

CAPITIS TERTII
§ SECVNDVS.

Pro seipso.

DIANA. CAMERARIVS.

QVid pro seipso eleemosynam facere est? CAM. Nempe ut non pro corpore, sed pro corporis & animę salute eleemosynam unusquisque elargiatur. nō autem sicut quidam superbi diuites obseruabant, qui eleemosynas,non pro æternæ uitæ desiderio, sed pro producēda uita tēporali largiebantur:mor-

tem ſe poſſe donationibus differre credentes, quos Gregorius in ſuis moralibus reprehẽdit, * parum tamen illius correctio multis profuit, qui nimium parſimoniam ſequentes, ſi quicquam pro Deo inſumpſerint, ęgre ferũt: ad plauſum uerò popularem eliciendum, omnia ſua libenter profundunt. DIANA. Quis igitur dandi modus, ut animæ proficiat? CAM. Hic uerus modus eſt, ut principio antequam eleemoſyna elargiatur, templum Dei ſe unuſquiſque eſſe exiſtimet: proindeque mundum à peccato eſſe debere eum qui dat, quo quicquid inde Deo dederit, ex dantis mente proficiſci dignoſcat. * quando minimè eleemoſynam dediſſe ſufficit, ſed quemadmodum oporteat dediſſe, uirtutis eſt. * Sic enim Deus prius ad Abel reſpexit, deinde uerò ad munera eius, non autem ad munera Cain. * At hoc quare? quoniam opera eius maligna erant (Ioannes reſpondet) fratris autem eius, iuſta: * Vbi belle uides, non ex dati menſura eleemoſynæ magnitudinem ponderari, ſed ex dantis propoſito, ut corde fiat: corde inquam toto, in quo peccatum non habitet, ne à peccatore homine hæc hoſtia Deo offeratur. Sic enim eleemoſynam faciẽdam eſſe Iob nos docet: qui cum dixiſſet, Foris non manſit peregrinus, oſtium meum uiatori patuit: ut deinde ſe toto ex corde id feciſſe oſtenderet, confeſtim ſubiunxit, Si abſcõdi quaſi homo peccatum meum, & celaui

lib.12.c.25.

¶ *Mundi à peccato eleemoſynas elargiamur.*

* *Hier. in Ageũ, cap. 2. Grego. mora. lib. 22. ca. 12.*

* *Chry. in ca. Matth. 6. homil. 19.*

Gene. 4. b.

* *1. Ioan. 3. b.*

*Iob 31. celaui in ſinu meo iniquitatem meam. * quem nos cum eleemoſynam damus, imitari debemus, Ioannis conſilio utentes cum ait: Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita, coram eo facimus.* DIA. Quid ſi reprehendat? CAM. Promptum remedium pœnitentiæ habemus: ad quam ipſa eleemoſyna nos adducit: quemadmodum in progreſſu huius noſtri colloquij dicemus. DIA. Quid ſi eũ non pœniteat, & det? CA. Scis enim peccata uenialia quotidianis eleemoſynis purgari. DIA. Parum quidem uenialia mentem mihi conturbarent, modò mortalia mũdentur. CAM. Minuta quidem ſunt, non magna, ſed minime contemnenda: quandoquidem ſi leo uno morſu guttur frangit, beſtiæ quoque minutæ multos plerunque necant. * DIA. Non nego quin uenialia non modo grauiora fiant: uerumetiam in mortalia, propter malam peccãdi conſuetudinem, conuerti plerunque poſſint: interim tamen quid pro mortalibus, pœnitentia ſemota, eleemoſynæ poſſint, à te audire opto. CAM. Nil penitus quantum ad animæ ſalutem ſpectat. Aliud cum ſit, mutando uitam eleemoſynas dare: quam eadem retenta uita, eleemoſynis Chriſtum corrumpere uelle, ut accepta pecunia, nos ſinat peccare. * Primo enim modo ab eleemo-

*1. Ioan. 3.

¶ Eleemoſyna à peccatore data.

*Aug. de decem chordis, cap. 11.

*Greg. in poſtorali admo. 21. in parte 3.

ſynis adiuuamur, ut dimittãtur nobis noſtra pec
cata.* quãdo ſacrificiũ Chriſtiani, eleemoſyna in
pauperes eſt.* quæ prodeſſe poteſt ad delendum
peccata præterita, ſi mores, mutaueris: ſi autem
perſeueraueris, non corrumpet iudicium Dei. *
Secundo autem modo ſi offerantur, abomina-
tiones apud Deum non ſecus erunt, * quàm
ſi bona ex rapina conflata, aliqua ex parte, ut cæ-
tera conſeruent, impij raptores largiantur. petit
namque eleemoſynis peccator, ut eum Domi-
nus liberet ab homine malo. Cui Deus reſpon-
debit, cur de teipſo nihil dicis? ſi enim te ab ho-
mine malo libero, prius es liberandus à teipſo: *
hoc enim in primis petere debebas, ſcriptura di-
cente, Miſerere animæ tuæ, placens Deo: * eo
quod miſericors alteri eſſe non poteſt, qui cru-
delis eſt ſibi. * Sic enim uerba illa intelligenda
ſunt: Quod supereſt, date eleemoſynas, & ecce
omnia munda ſunt uobis, * Supple tu, uita mu-
tata. * ne dum dare eleemoſynam & in pecca-
to ſimul permanere quiſpiam uellet, Deo quod
ſuum eſt inordinate reddens, ſe ſimul Diabolo
reddat. * ut ſcriptum eſt, Impius ſi uenerit in
profundum malorum, contemnit. * quaſi pro-
prium impij in deſperationem tendere, atque
Deũ contemnere ſit: quẽadmodum hi agũt, qui
eleemoſynas dãtes, agere pœnitentiã negligũt. *
Noſtrum igitur eſt, magnum hoc eleemoſynæ
donum amplecti, quæ ardentium criminum
globos

Aug. enchi. c.72. in fi. in ſerm. de tẽp. dominica, 15. poſt Trin. ſer. 1. in fine.

Aug. home. 29. tom. 10.

Aug. home. 19. tom. 10.

Aug. home. 29. tom. 10.

Eccle. 30.

Aug. in euã. ſecundũ Lucam, ſer. 30.

Lucæ 11. f.

Aug. ho. 19. tom. 10.

Grego in paſtorali: parte, 3. admo. 21. & in moral. lib. 19 c. 20.

Prou. 18.

Aug. ſer. de tẽp. 181. c. 15.

¶ *Cogitur Deus, eleemoſynam largiẽtis miſereri.*

globos beneuolentiæ ſuæ fonte refrigerat: ut quamuis offenſus Deus, quamuis criminibus prouocatus: nos à peccatis cum pœnitentes eleemoſynam largimur, liberare cogatur.* DI. Cogatur? CAM. Nemo quidem ad iudicium ipſum trahit, ſed propter eiuſdem pollicitationes, quæ infallibiles ſunt, cogere quodammodo Deum dicimur, cum pro actibus noſtris, tametſi ipſe nũquam mutetur, propter bonitatem ſuam, ſententiam mutare compellitur: & in uno eodémque homine, nunc ſeueritate iudicis promoueri, nunc patris pietate blandiri: pater enim noſter eſt, cum bene agimus: iudex noſter eſt cum peccamus.* DIANA. Compellitur ergo operibus noſtris Dominus, à propria eius bonitate, dum propter nomen ſuum mouetur, ut nobis ſuam miſericordiam largiatur. CAM. Ideo ipſe in euangelio ſancto dicit, à tempore Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum uim patitur.* quia pœnitentiam Chriſtus prædicauit, qui à tempore Ioannis Baptiſtæ, qui ipſum uidit, regno cælorum uim intulit. DIA. Chriſtus ergo uim infert. CAM. Omnino. DIA. Aliquod ſcripturæ teſtimonium affer, in quo hæc omnia complectantur. CAM. Verba Domini ſunt, aduerſum eos dicta, qui indecenti modo operantur: [Me etenim de die in diem quęrunt, & ſcire uias meas uolunt, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit.]

*Amb. in Natal. Domini, ſerm. 15.

*Amb. ut ſuprà.

*Amb. ut ſuprà.

at ſi cauſam quęras, cur iuſtitiã quam fecerũt coram Deo proponere iſti non poſſint? ſubiungit: [Ecce in die ieiunij ueſtri, inuenitur uoluntas ueſtra, & omnes debitores ueſtros repetitis.] quæ quidem uoluntas, alia à Dei uoluntate eſt. [Ecce ad lites & ad contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.] quaſi impietas quæ ineſt, in non remittendo debitum, in quo ſpiritualis eleemoſyna quoque conſiſtit, ipſum ieiunium, ipſamq́ue percuſſionem per omnia impietate repleat: & non dimittendo omnino nullam miſericordiam faciat. * Inde uerò, ut modum ſibi placitum commoſtet ſubnectit: [Nolite ieiunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor ueſter. nunquid tale eſt ieiuniũ quod elegi?] & paucis interpoſitis: [nónne hoc eſt magis ieiunium quod elegi: diſſolue faſciculos impietatis:] quæ maior eſſe non poteſt illa, quæ proprios faſciculos non diſſoluit. Iubens ut ſpiritualia quoque miſericordiæ opera, ieiunio cõiungantur: ut opus miſericordiæ mixtum, hoc eſt, tum ſpirituale, tum corporale ſit, à charitate procedens. Et cum hæc dixiſſet, uolens oſtendere quanti apud Deum opus charitatis habeatur, addit: [Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te: clamabis, & dicet, ecce adſum.]* ô magnum uerbum, ô magna Dei charitas? ut homo poſt eleemoſynam ex charitate factam, atque ieiunio & orationi coniunctam, tãti exiſtimetur, ut à Domino

*Greg. mora. lib. 22. ca. 12.

*Eſa. 58.

mino audire mereatur, ecce adſum. à quo? ab illo cuius omne dictum, non modò pro obligatione, uerum etiã pro dato reputatur. ubi apertè cernis, quomodo Deus per os Eſaiæ, ſe charitatis opera operãti, obliget. Demus igitur eleemoſynas pauperibus, ut à morte peccati, pœnitentia comite reſurgamus: Siquidem non alia ratione mortua Tabitha, quæ plena erat operibus bonis & eleemoſynis, quas faciebat, Petrũ in cœnaculũ introduxerunt, in cuius conſpectu uiduæ quæ eleemoſynas acceperant, flentes, tunicas & ueſtes acceptas oſtendebant, quas faciebat illis Tabitha: * niſi ut ſciremus, ab omni morte peccati nos reſurgere poſſe, oſtenſis eleemoſynis, quas facimus per Ieſum Chriſtũ: modo cum Tabitha reſurgamus: quę nõ modo eleemoſynis plena erat, ſed eleemoſynis & cæteris operibus bonis: ita ut ſtatus iuſtitiæ (ſaltẽ pœnitendo) ipſam eleemoſynã præcedat. quod ſatis Ieſus oſtendit, cũ dixit: Facite fructus dignos pœnitẽtiæ * hoc eſt eleemoſynas date. itaque eleemoſynę pœnitẽtię fructus ſint. * ut à pœna peccatorum, quorum nos pœnitui, liberent. cum Tabitha dico, quæ etſi uocata à Petro oculos aperuit: nõ tamen niſi porrecta manu reſurrexit: debilitatis ſuæ ſignum præbens, ut Dei muneri omnia tribuamus, qui pœnitentiam bona, & uitam, nobis mortuis manu porrecta condonat. DIA. Nil ergo ad ſalutem eleemoſynæ à peccatore datæ ei prodeſſe

¶Tabitha.

*Act. 9.

*Matth. 3.

*Glo. ibi.

poterunt. CAM. Hoc duntaxat præſtare poſſunt, nempe ut peccator à Domino ſuſcitatus, cogitans per illas ad Deum accedere, ad pœnitentiæ, mundationíſque gratiam, ſuã animam idcirco præparet, quia Deus ſecundum id quod ſuæ bonitati congruit, non permittet illum in perditionem ire: hæc tamen, ſua miſericordia condonabit. * DIA. Ad quid ergo iuſti eleemoſynas faciunt? CAM. Vt uel uenialia mundent, uel pœnam mortalium ſoluant, uel à futuris liberentur, uel ut maiorem mercedem obtineant, uel plura ſimul ex his agant.

¶ *Cur iuſti eleemoſynas elargiuntur.*

*Tho. 4. *diſt.* 15.

CAPITIS TERTII, §. TERTIVS.

Hilaris.

CAMERARIVS. DIANA.

HIlarem quoque eleemoſynam eſſe oportet. DIA. Cur? CAM. Tanti Paulus ipſam eleemoſynam fecit, ut benedictionem eam nominare auſus fuerit.* DIA. Sit benedictio, quid tum deinde? CAM. Benedictionem ab auaritia his quæ ſequuntur uerbis Paulus ſegregauit. [Neceſſarium ego exiſtimaui rogare fratres, ut præueniant ad uos, & pręparent repromiſſam benedictionem, hanc paratam eſſe, ſi quaſi benedi-

¶ *Explicatio ca. noni. ad Corin. 2.*

nedictionem,non quasi auaritiam.] DI A. Quid per hæc uerba Paulus intellexit? CAM. Tribus uocibus Paulus eleemosynã nõ esse hilarẽ ostendit: auaritia nimirum, tristitia, & necessitate, quæ in præsentia aliquibus exemplis explicaturus sum, ut tu commodius singula intelligas. DI A. Perge. CAM. Quantum ad auaritiam attinet, illorum exemplum proponam, qui abundantes bonis, pauperi petẽti eleemosynam, frustum panis frãgunt, aut denarium tanquam auari dant. DI A. Quid isti mali agunt? CAM. Non quidem hos damno, immo Tobiæ,* atque Sirach* authoritate maxime illos commendo: qui nunquam uel in minimo à paupere faciem auertunt. Est enim prudentia non minima, denarios illos qui supersunt, inter multos cum charitate debita dispensare: præsertim quando multi ualidi mendicantes Dei nomine inuocato simul eleemosynas petunt, à quibus nec facies propter eum quem repræsentant auertenda est, neque quæ aliis debentur, in hos profundenda. Non quidẽ in hoc casu loquor: sed quando proximus maiori quantitate eget, & is qui abundat multis, uiscera charitatis claudẽs, denarium ei porrigit: immo plerunque indignabundus proiicit. hoc enim non laudo, ut domino dicente, Dilige proximum tuum sicut teipsum: ille in sua abundantia id proximo non det, quod sibi dari honeste uellet. Finge te infirmo in lecto ia-

¶ Eleemosyna auara.

*Tobiæ 4. *Eccl. 4. a. 14. b.

centi, ex magnis diuitiis quæ ſuperſunt, denarium miſiſſe, quid feciſti? Nobilem præterea uides qui fodere non poteſt, & mendicare erubeſcit, tu uerò illi menſuram frumenti das, quid feciſti? parum quidem in utroque feciſti. Siquidem ex his quæ tibi ſuperflua ſunt: ægroto nobili aut honeſto uiro alteri, (quicunque ſit) neceſſariis cibis, pharmacis, medico, & ueſtibus opem ferre ſic debes, ſicut tibi fieri in tali neceſſitate optares. DIA. Nónne ſufficit, ut partim ego, partim uerò alter egenti in modico ſuccurramus? Sat enim eſſe debet, ſi amico in paucis cõſulatur. CAM. Eleemoſynã mendico dignam. qui hoſtiatim clamat, talem eleemoſynam ego eſſe dicam: modo adeò tenuis non ſit, ut partibus coniunctis, nil eſurienti proximo adhuc uel uoce uel corde clamanti, totum prodeſſe poſſit. tunc enim minime hilarem eleemoſynam hanc eſſe propterea dicam, quia proximum non ſicut teipſam dilexiſti. DIANA. Debeó ne ego filias meas hæreditate ſpoliare, ut pauperes alam? CA. Reſpõde tu prius, an debeas animam propriam fructu huius operis ſpoliare, ut ditiores filias tuas relinquas? nónne anima tua pro una filia habenda eſt? quis nam te caſtra uendere cogit? nõ equidem hoc à te nunc requiro: Sed, ut fructus omnes qui tibi ſuperſunt, tanquam optima bonorum Dei diſpenſatrix, inter pauperes diuidas, conſulo. Itaque tibi priuſquam filiabus in regno

gno cælorum de fructibus in dorſo pauperum delatis, theſaurizare uelis. proprietas uero illis dignitati nataliũ neceſſaria conſeruetur: ut filiæ ut decet nobiles, uiuere queãt: nã ſuperflua hoc caſu minime ſunt. DIA. Pecuniam ſine peculio, nihil eſſe prudentes dicunt: peculium paruam pecuniam appellantes, quæ præſidij cauſa in arca repoſita ſit. CAM. Sic Iuriſconſulti cenſent. DIA. Potero igitur in arca pecunias conſeruare, quibus meis neceſſitatibus ſuccurrere poſſim. CAM. Humanam prudentiam illi proponunt, has ſolicitas curas amplectẽtes: nos autem Dei ſapiẽtiam prędicamus, qui dixit, Ne ſoliciti ſitis animæ ueſtræ, quid manducetis, neque corpori ueſtro quid induamini: nónne anima plus eſt quàm eſca? & corpus plus quàm ueſtimentum? reſpicite uolatilia cœli quæ non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater ueſter paſcit illa, nónne uos magis pluris eſtis illis? nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt, (dicentes, Pecunia ſine peculio, nihil eſt.) Scit enim pater ueſter, quia his omnibus indigetis: quærite ergo primùm regnum Dei & iuſtitiam
Matth. 6. d. eius, & omnia hæc adiicientur uobis. * DIA. Solicitudinem ibi uetari paulò antè tu dixiſti. CAM. Idipſum nunc confirmo, ne ſcilicet Chriſto petente partem bonorum ſuorum tibi

ſuperfluam, ipſi uerò infirmo neceſſariam: hanc certam neceſſitatem proximi ob ſolicitudinem proprij corporis tui ſatis incertam, negligas. DI. Quid ſi proxima neceſſitas timeatur? CA. Tunc res tibi neceſſaria non ſuperflua eſſet: nos autem (Chriſti ſententia) curioſam ſollicitudinem excludimus. DIA. Fœlix ille eſt, qui adeò firmam fidem habet, ut has Dei pollicitationes, opere in eo conſummari, cernat. CAM. Vis ut unico argumento te doceam non hæſitare? DIA. Nil magis opto. CAM. Aut enim Deus mendax eſt, aut impotens, aut facta noſtra ignorat: aut contra, fidelis eſt, potẽs, ſciens ac uolens credentibus nobis ſuccurrere. DIA. Ipſa ueritas Deus eſt, quem nec motus capillorum noſtrorum latet, corda item ſcrutatur, nec duo paſſeres abſque eius uoluntate, concertantes cadunt: omnipotens præterea, qui omnia creauit. CAM. Quauia ergo hæc credendo titubare poteris, ſi potens eſt, ſcit quibus opus habeamus, & uerax cum ſit, id implere uult quod promiſit? DIA. Vereor ne propria peccata mihi impedimento ſint. CA. Pœnitentiam tibi ab ipſo condonatam ſuſcipe. DIANA. Quid ſi occulta lateant? CAM. Eadem pœnitentia mundantur. DIA. Vtinam omnis hætſiatio è corde meo auferatur. CAM. Vis denique non hæſitare? cogita quęſo, quando idololatras Iſraëlitas de petra melle Deus propter nomẽ ſuum ſaturabat, & tu fidelis ad ipſum accur-

¶ *Fides non hæſitans, eleemoſynæ præmia ſuſcipit.*

¶ *Ratio quare firma fide præmiũ eleemoſynæ ſperare debemus.*

accurrens minimè dubitabis. DIANA. Nemo poterit iſta negare. CAM. Audi rurſum quid Paulus ne hæſitemus affert. [Hoc autem dico, qui parce ſeminat, parce & metet.] ubi uides quid ſit minutum denarium hæſitanti animo pauperi dare: Seminat nãque, ſed parce, ac parce metit. [& qui ſeminat ex benedictionibus] in plurali: illum oſtendens, qui in abundantia eleemoſynas nil hæſitans largitur. [de benedictionibus, & metet.] plures benedictiones obti-

1. Timo. 4. nens uitæ huius, & futuræ.[unuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo.] & dicit corde, eo quòd non eleemoſynę menſuram, ſed affectionẽ Deus conſiderat. ſic enim in eleemoſyna uiduæ duos

*Marci 12. d. denarios dantis, Ieſus declarauit. * Deinde Paulus ſubiungit, [Non ex triſtitia aut neceſſitate:] duas has uoces addens, quæ ſicut paulò antè dixi, hilaritatem eleemoſynæ præ ſe ferunt, ut ſequitur. [hilarem enim datorem diligit Deus.] illa hilaritate, cuius Paulus alibi meminit, quando dixit: Cupide uolebamus tradere uobis, non ſolum euangelium Dei, ſed etiam animas no-

1. ad Theſſ. cap. 2. b. ſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Et ut omnem tepiditatem è cordibus illorum auferret, ne dubitarent (ſicut paulò antè commemorauimus) dando eleemoſynas, in futurũ pane carere, addit: [Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in uobis, ut in omnibus ſemper ſufficientiam habentes.] & dicit in

¶ *Compenſandi modus, quando nõ ex triſtitia uel neceſſitate, ſed hilariter eleemoſynam elargimur.*

omnibus semper sufficientiam habentes] & dicit in omnibus,id est,tam ad semināndum,quàm ad manducandum: [abundetis in omne opus bonum.]ut de bono in melius procedentes,maiora ad futuram gloriam seminetis. [sicuti scriptū est: Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi.] & uolens id supplere, quod alibi dixit: Pietas autem ad omnia utilis est,promissionem habens uitæ quæ nunc est, & futuræ,subdit: *[Qui autem administrat semen *1. Timo.4.
seminanti.] Deus scilicet, à quo id accipimus quod pauperibus damus.[Et panem ad manducandum præstabit.] ob quem, paulò antè tantopere angebaris:panis appellatione,omnia necessaria intelligens. [Et multiplicabit semen uestrum, & augebit incrementum frugum iustitiæ uestræ, ut in omnibus locupletati abundetis.] quid lucidius ad persuadendum, ut absque his hæsitationibus eleemosyna hilariter largiatur, Paulus afferre potuit? Alacri igitur animo, non autem tepidi,quasi eiusdem boni operis pœnitentes:pauperibus eleemosynas elargiamur. * ne dum panem tristis dedisti,respondeat *Aug. Psal. 42.
tibi Deus,Panem & meritum perdidisti.* DIA. *Amb. de pœni. lib. 2. c. 9.
Aliquod præbe exemplum: quomodo ex necessitate, uel tristis quispiam eleemosynam faciat.

¶ Quomodo ex necessitate uel tristitia eleemosyna fiat.

CAM. Finge magnum aliquem dominum,uel dominam, pro eleemosyna aliqua colligenda, ecclesiam omnem in partem quærendo ambulare:

lare:

lare : & quidam timore illius, ne non dando, uel parum dando, eius iram incurrat, plus quàm eligat, det: quid illi hęc eleemosyna prodest, quam, etsi non coactus, tristis tamen præstat? scriptura dicente, Noli esse pusillanimus in animo tuo: exorare & facere eleemosynam ne despicias.* Finge rursum aliquem ex illis eleemosynam facere, qui opera meritũ habere neget: & timens ne parũ religiosus habeatur, eleemosynas det: quid eleemosyna ex necessitate facta ei prodesse potest? Hæc enim expẽdendo, facilè intelliges, non omnem eleemosynam, sed hilarem, siue parua, siue magna sit, placitam esse Deo.* quandoquidem magnitudo eleemosynæ, non in multitudine pecuniarum, uel opum sita est: sed ex alacritate dantium iudicatur.* Sic enim Agricola nõ tristi facit uultu, sed gaudens & lætabundus, & quasi iam spe manipulos uidens, in terram seminat. Deus certè, non quia datur, sed quo animo detur, simul conspicit.*

*Eccle. 7.

*Hiero. in Amos, cap. 5.

*Chrys. in ca. 29. Gene. homel. 55.

*Greg. li. 22. moral. ca. 12.

CAPITIS TERTII

§ QVARTVS.

Humilis.

DIANA. CAMERARIVS.

QVid tu sentis, cum eleemosynam humilem esse debere ais? CAM. Ne fortè

cum ſuperbo homine quiſpiam, qui eleemoſy-
nam largitur, dicat, In multitudine munerum
meorum reſpiciet Deus, & offerentem me Deo
altiſſimo, munera mea recipiet.* uel dãdo mur- *Eccle. 7.
muraret, tunc enim Petrũ non audiret dicẽtem,
Mutuam charitatem in uobiſmetipſis habentes,
hoſpitales ſitis, ſine murmuratione.* DIANA. *1. Pet. 4.
Neminem eorum qui pauperibus eleemoſynas
ſuppeditant, murmurãtem adhuc uidi. CAM.
Quid ſi cum tu ſumma cum humilitate das,
miniſtrorum tuorum crebras murmurationes
non audias? Quot ego audiui, dum prælati, uel
œconomi, aut monachi, eleemoſynas elargiri
iubent, qui eas erogando, plus ſuperbiæ in lin-
gua, quàm panis in manu habebãt: ſolaque di-
ſpenſatione contenti, abſque fructu uitam du-
cebant, neque Romæ cum Hieronymo fuiſti, u-
bi non piam, ſicut tu es, ſed ſuperbam à Deo a-
uerſam, quandam uiduam uidiſſes: quæ cum
audiuiſſet eam ob cauſam manu propria elee-
moſynas diſtribuendas eſſe, quia rara eſt homi-
num fides, præſertim eorum qui ærario præſunt,
ut religioſior uidua illa putaretur, ſingulos nũ-
mos diſtribuere pauperibus uoluit. DIA. Quid
mali ei contigit? CAM. Anus annis panníſque
obſita præcurrit, ut alterum nummum accipe-
ret: ad quam cum ordine perueniſſet, pugnum
ꝓ denario porrexit.* Nónne facinus deteſtabi- *Hiero. ad
le nimis, ut uerberibus eos cædat, quos alere de- Paul de inſti.
bet? mona. col. 4.

*Hier. ad Eustoc. de uirg. ser. col. 17. bet?*Quibus rectè dominus dicere poterit, non quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione uestra: hoc enim scitote quòd quisquis super eum, cui aliquid tribuit, fastu se elationis extollit, maiorem culpam intrinsecus superbiendo cõmisit, quàm extrinsecus largiendo, mercedem habuit. fit enim ipse bonis interioribus nudus, cum uestiẽdo nudum eum despicit, minúsque inopem eum, qui uestem nõ habet, relinquit, quàm ipse sit, qui humilitate caret.* DIA. Vnde superbiæ istius radix? CAM.

Greg. mora. lib. 21. ca. 14. Quadam cogitatione tumida sese extollunt, quia contineri per se, cæteros uident, haudquaquam se nudos dispensatores esse animaduertẽtes. quæ si expenderent, tanto humilius dispensarent, quanto aliena quæ largiuntur, esse dignoscerent: nimirum Dei, in cuius uirtute, non autem propria, dignè omnia dispensare obligantur. DIA. Quid igitur faciendum? CAM.

Greg. in pastoral. parte 3. cap. 21. Nempe ut pauperes ita recipiamus, quasi operarios, qui occasionem salutis dare nobis possunt: apertísque auribus illos audientes, pacifice & in humilitate sic eis respondeamus: ut antequam demus, uerborum clementia deiectos, illorum animos erigamus. Sic enim Sirach docet, cum ait: Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperẽ in inopia sua: Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram, & non relinquas tibi retro maledicere. Sed potius ut acce-

*Eccle. 4.

pta ab humili manu eleemoſyna, dicant: Salus noſtra in manu tua eſt.* Ecce inuenimus gratiam in conſpectu Domini noſtri.* DIA. Aliqua prębe exempla, quibus humilitas à ſuperbia diſtinguatur. CAM. Si hypocriſim uitauerit is qui eleemoſynam dat, perpetuo humilis erit. DIANA. Quis homo hypocrita eſt? CAM. Is qui uult uideri qui non eſt, hypocrita erit. Simulat enim iuſtum, & non quaſi iuſtus exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit. * neque cum cernit quàm bonum ſit quempiam bonum iudicari, bonus eſſe uult, ſed quod uult apparere, id optat. cognouit quoque malum eſſe, hominem eſſe malum, & id eligit, quod non uult apparere. * Quibus Ieſus dixit: Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere, ſed te faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextra. * DIA. Quid per ſiniſtram Ieſus intellexit? CAM. Placuit quibuſdam de uxore ſenſiſſe, quæ tenax eſſe ſolet, ut nil uir ei dicat, cum opimam eleemoſynam elargiri conſtituit. DIA. Perinde hi loquuntur, quaſi ſoli uiri Chriſtiani ſint, & non hoc præceptum fœminis quoque detur, eccleſia pro pio fœmineo ſexu perpetuò orante. CAM. Rectè ſentis, & tecum Auguſtinus hanc opinionem plurimis rationibus condemnauit. * Et cum Ieſus illos increpet, qui ita faciunt, ut laudes hominum quęrāt, ſiniſtra, delectatio laudis erit: dextra

uerò,

*Gen. 47.

*Exod. 33. c.

¶ *Hypocritæ eleemoſyna.*

Aug. de ſer. domi. in mōte, lib. 2. ca. 3.

Chryſo. ſup. Matth. c. 23. homi. 45.

Matth. 6.

¶ *Neſciat ſiniſtra.*

In loco iādudum citato.

uerò, intentio implendi præceptum diuinum: ita ut illa eleemoſyna bona ſit, quæ in abſcondito fit, hoc eſt in cubiculo bonæ conſcientiæ, citra hominum laudem facta. quandoquidem multi eleemoſynas foris faciunt, qui tamen eas intus non faciunt: dum uel ambitione, uel alicuius rei temporalis gratia uolunt miſericordes uideri, & ſumptus facientes, lucro propterea deſtituuntur. *DIA. Quid ſi interea dum eleemoſynam pura conſcientia elargior, aliqua uoluntas adſit, ut placeat mihi, miſericordem à populo reputari, num propterea eleemoſyna deſinet eſſe bona? CAM. Agitur hîc de corde mundando (Auguſtinus reſpondet) quod niſi fuerit ſimplex, mundum non erit. ſemel enim quod Ieſus ſiniſtram dexteræ admiſceri inhibuit, euidentiſſime docuit, ut cum opus Dei facimus, minimè exteriorum appetitio commodorum ei addi poſſit. DI. Intelligit hoc Auguſtinus, quando hoc animo fiat, ut fructus in eis expetatur placendi hominibus: non autem quando in ipſo actu miſerationis nil tale pro cauſa cogito, ſed delectatio hæc mihi me nolente occurrit: Paulo dicente, non eſſe abſurdum, ut ſupra Chriſti fundamentum aliqua bene operentur: homo autem ipſe quales quales interim peccatorum uenialium maculas, ſimul cum bono opere retineat, quæ igne probentur. *CAM. Recte Auguſtini ſenſum percepiſti: ſic enim ille ſeipſum declarat, ut

*Aug. de ſer. mo. d. in mõte, libr. 2. Chryſo. Gen. ca. 19. home. 42. col. 8.

¶Fama bona an poſſit appeti.

1. Cor. 3.

tunc locum hæc ſententia habeat, quando duobus dominis ſeruire ab initio quiſpiam eligeret: nec una intentione rerum æternarum purificet aciem ſuam, ſed eam mortalium quoque, fragiliúmque rerum amore obnubilet.* DIA. Vno in loco legimus, Noli tuba canere.* in altero uerò, Luceant opera ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona.* Quid iſtud? CAM. Nempe ut ad gloriam Dei, non autem tuam, eluceſcant, ut qui gloriatur in Domino, glorietur.* DIA. Quomodo aſtantes ſcire poterunt, an meam uel Dei gloriam quæram? CAM. Sat eſt Deum qui corda ſcrutatur, iſtud cernere: ut in abſcōdito reddat tibi.* oſtij namque clauſura urget, quemadmodum initio huius noſtri ſermonis fuſius dixi. DIA. Facile quidem, in oratione, oſtium claudere eſt: ſed quis in eleemoſynis illud claudere poterit, quę palam fiunt? CAM. Sæpe dixi, ab hominibus uideri haudquaquam lege uetitum fuiſſe: ſed ideo hæc agere, ut uidearis, & fructum in eis placendi hominibus expectes, hoc eſſe malum.* DIANA. Quid faciendum, ne ab hominibus uideamur? potéſtne fieri ut non uideatur homo eleemoſynam faciens, præſertim ſi præſente aliquo occurrat pauper? quanquam enim ducendo eum in ſecreto, non uidetur quod datur: tamen uidetur quia datur.* CAM. Tu te noli uideri, & non te alter uidet.* Quandoquidem ſi eiuſmodi

¶Noli tuba canere.

*Aug. de ſer. do. in mōte li. 2. c. 5. & 6.
*Matth. 6.
*Matth. 5.
Aug. Pſ. 44.
Matth. 6.
*Aug. de ſer. do. in monte, lib. 2. cap. 6.
*Chryſ. in ca. Matth. 5. ho. 13. col 4.
*Chryſ. de uariis in Matt. locis, hom. 11.

eiuſmodi tentationes, dum in mentem ueniunt, ſic diſplicent, ut nolis ab illis uideri: ſatis hoc erit, ut myſterium eleemoſynæ (quæ myſterium eſt) *cum puritate conſummetur. DIA. Quo teſte loqueris? CAM. Sic eam ob cauſam loquor, quia minime Ieſus ſimpliciter dixit, ne coram hominibus eleemoſynam faciatis: ſed addidit, ut uideamini ab eis.* quo fit ut ſi quiſpiam non ideo facit, ut ab hominibus uideatur, etſi coram hominibus fecerit, non tamen coram hominibus feciſſe dicatur. DIA. Probè. CAM. Ex his itaque iā intelligis, quomodo tametſi perpetuo fieri non poſſit, ut nemo uideat, aut ſentiat te eleemoſynam facere: tamen eo propoſito facere, ut à nemine uideatur, ſatis poſſibile eſt.* Hoc igitur in mente retineas, ut omnis tua hoſtia Deo oblata, per Chriſtum cui datur, quando pauperi datur, Deo accepta ſit: itaque propter Deum, pro te ipſa, hilaris, & ſumma cum humilitate, Dei præceptum impleas.

*Chryſoſt. in Matth. 22. ho. 72.

*Chryſ. in ca. 5. Matth. ho. 13.

*Chryſoſt. ut ſuprà.

CAPITIS TERTII §. QVINTVS.

De ſuo.

CAMERARIVS. DIANA.

DIxi de ſuo: ne cum quibuſdam erremus, qui cum multa rapuerint, pauca uerò huius ſe-

culi ſuffragatoribus erogant, non modo in hoc mundo ſalui ſunt, ſed magno cum fauore, principum aulam plerũque intrant. Non ſic, non ſic eleemoſynas elargimur cogitantes, quòd ſi multa furto ſubtraxerimus, pauca uerò Chriſto noſtro ſuffragatori erogauerimus, Ieſum qui eleemoſynas recipit, corrumpamus, ut iuſte reliqua poſſidentes, cum rapina cælorum regnum intrare queamus. Siquidem Deus hoſtias eleemoſynarum, non autem illarum abominationem requirit: abominatio cum ſit, ex rapina, ipſi Deo eleemoſynam facere.* de ſuo namque dare debẽt, id eſt de eo quod ipſis à Deo datum eſt, non autem de dato Diaboli. DIA. Doctrina hęc tua ex diametro contra Chriſti præceptum tendit, qui uillicum iniquitatis laudauit, quod prudenter feciſſet, dominum fraudando ut amicos ſibi pararet: iubens ut de mammona iniquitatis nobis amicos faciamus.* CAM. Varij ſenſus à doctoribus in hiſce uocibus interpretandis afferuntur, [mammona iniquitatis.] Quibuſdam enim placuit ut ſimul legantur, & ambæ hæ notulæ, ipſas mundi diuitias ſignificent: quæ propterea iniquitatis ſint: quia bona mundi, diuitię iniquis hominibus ſunt. cæteris uerò iuſtis, diuitiæ cœleſtes theſauri. Domino dicente, Nolite theſaurizare uobis theſauros in terra, ubi deuaſtantur, & à furibus auferri poſſunt: ſed theſaurizate uobis theſauros in cœlo, ubi incorrupti manent,

*Aug. lib. Salutarium docum. c. 31. De ciuit. Dei, lib. 20. cap. 26. epiſt. 38. Ad fra. in eremo. ſerm. 62.

¶ Mãmona iniquitatis.

*Lucæ 16. b.

*Aug. de decē chor. c. 22.

manēt, & Christus illorum custos est. * Hi namque thesauri supra aurum & Topazium sunt, super spolia multa lætitiam afferentes. Ita quidem, ut bona mundi huius, iniquis diuitiæ dicantur: dum illis tanquam Domino seruiunt. Iustis uerò pecunia sit, ad usum detenta, ut soli Deo seruiant. Hāc enim ob causam tandē Dominus dixit, Nemo potest duobus dominis seruire: & nō dixit, nemo potest bona in hoc mundo habere. Siquidem Abraham, Iob, Dauid, & multi alij bona posséderunt, sancti uiri & iusti: quasi hoc malū sit, ut diuitiis seruiamus. * Alij uerò, duas esse uoces dicūt: quasi dixerit, de diuitiis iniquitatis: & tunc uocem iniquitatis additam idcirco esse subiungunt, quia ad iniquitatem nos tentant. * Tu uerò dic, bona in se nullam iniquitatem habere: nisi dum aut malè acquiruntur, aut malè detinentur, uel pessimè dispensantur. Neque aliam ob causam Iesum bona iniquitatis, bona illa uocare: nisi ut inter uillicum domini temporalis, & uillicum Domini æterni comparationem faciat: non ut in omnibus eos comparare uelit, quoniam tunc data omnimoda similitudine, non similis, sed eadem res esset. uocauerat namque illum uillicum iniquitatis, eo quòd dominum fraudauerat: ut ex hoc Christianus agnosceret, se iniquitatis uillicum esse, cum bonorum sibi datorum iniquus dispensator est: sibi detinendo ea quæ pauperibus erogari debent.

*Beda.

*Ambro.

Cōmendat deinde uillicū, nō quod bona rapuerit, ſed quia rapiēdo prudentia humana optimè uſus eſt, ut illa inter debitores diſpenſando, in eorum domibus reciperetur. Iubens nobis, non ut bona rapiamus (quod in uillico minimè cōmendauit) ſed ut prudentiam uillici æmularemur: qui de bonis, quæ ſua nō erāt, amicos ſibi fecit, qui in eius domibus illum reciperent: hoc exemplo docens, ut & nos de bonis, quæ noſtra non ſunt, ſed Dei nobis idcirco datis, ut illa pauperibus elargiamur, prudenter agendo, pauperibus demus: ut dando iniquitatis mammona nobis non ſint, ſed bona æterna, dum per eos, quaſi ſupra dorſum in regnum cœlorum feruntur: ut deinde pauperes ipſi, & Chriſtus, cui in pauperum perſona dedimus, tanquam amici noſtri, non in eorum domibus, ſed in æterna tabernacula, nobis bonis uillicis à Deo præparata nos recipiant. ſubiungens, ut uelimus ſic ei ſeruire, ut proximos non fraudemus: neque in diuitiis, ſed in Deo noſtrum amorem reponamus: ut Deum diligendo, quando à diuitiis tentamur, non modo illis non ſeruiamus, uerùm etiam, odio potius illas habentes, ſolum Deum diligamus. quaſi contra, Deum odio habeat is, qui diuitiarum amorem, amori Dei prætulit. Hic germanus ſenſus, à quo haurire debes, nil aliud Chriſtum dixiſſe, niſi ut prudēter bona pauperū diſpenſemus, perpetuo cogitantes, ne nos iniqui

uillici

uillici ſimus, atque in bona iniquitatis ipſas eleemoſynas malè diſpenſando conuertamus: non autem quod iniquitatis bona ſint, interea dum bene à nobis diſpenſantur. DIA. Noua hæc huius loci interpretatio tua mihi magnopere probatur. ſed age ad rem redeamus. CAM. Semel enim quod Ezechiel dixit, Qui dederit panem ſuum eſurienti: ſatis declarauit, minimè de alieno dandum eſſe.* Demus itaque Salomonis ſententiæ memores, cum inquit, Redemptio animæ uiri, propriæ diuitiæ. * ne fortè audiamus, Domini eſt terra, & plenitudo eius, in propria uenit, & cum eleemoſynam peteret, non accepiſtis eum. DIA. Propria ergo non dat raptor, cum illa elargitur quæ proueniũt ex rapina. CA. Quid enim raptor facit, cum pauperi eleemoſynam tribuit? gaudet quidem is qui dedit parum, interea dum egenus cui abſtulit, inenarrabilibus lachrymis plorat. * quod ſi ita eſt, nónne ſatius non dare, quàm alterum ſpoliare? eo quòd eleemoſyna iccirco fit, ut in iuſtitiæ ſtatu quiſpiam permanens, fructuoſus diſpenſator exiſtat, uel ad ſtatum iuſtitiæ ſe diſponat, qui peccator eſt: quod minimè is facit, qui rapinas porcorum detinendo, illorum pedes pauperibus largitur. * Sic enim eleemoſynæ gentilium quoque, quotquot elargiebantur de iuſto labore & propria facultate, non autem de pauperum egeſtate, erogabantur. * Et hoc quidem rectè ne cum multa

*Ezec. 18. Hiero.

*Prou. 13. b.

*De uer. apo. ſermo. 21.

*De ciui. Dei. lib. 21. c. 27. De uita Chriſtiana. c. 12.

*Aug. home. 47. tom. 10.

aliena rapis, unus cibetur ex pluribus, unde plures esuriunt: uníque pietas, ex aliena crudelitate exhibeatur. * néue uix unum tegendo innumeros liceat spoliare. Hoc quidem Salomon detestatur cum inquit, Honora Deum de tuis iustis laboribus, & deliba ei de tuæ iustitię fructibus.* eo quòd illam odio habet eleemosynã, quæ de lachrymis prę statur alienis. Quid enim illi prodest, qui benedicit uni, unde plures maledicunt? Timet fortasse, Deum non habere unde pauperes suos pascat, nisi aliena diripiat? * Hieronymum quæso audiat testantem, maiorem partem eorum qui aliena diripiunt, ad ultimum inopia consumi: eos uerò qui sua largiuntur, etiam bonis abundare terrenis. * Ambrosiũ item, se plerosque sacerdotes scire dicentẽ, qui quanto plus dabant, tanto plus abundabant.* DIA. Num saltem optima eleemosyna illa erit, quæ ex iusto labore raptoris largitur? CAM. Optima quidẽ, quando simul aliena propriis dominis restitueret: uel in usum pauperum, (cum id fieri non posset) illa conuerteret. DIA. Quid si rapinas retineat? CAM. Quemadmodũ siquis in limpidum fontem stercus iniiciat, totum immundum reddit: ita si diuitias auaritia attigerit, omnes fœtore suo corrumpit. Siquidem ubi pecunia ex rapina condatur, asino putrido grauius olet: & uelle asinum mortuum fœtidúmq; Deo offerre, quàm turpe sit, nemo est qui non uideat: præser-

*Aug. de uita Christ. ca. 12.

Prou. 3.

*Aug. in loco iãdudum citato.

*Hiero. pro. 3. in fine.

*Amb. lib. 2. Offic. c. 16.

¶ Raptoris eleemosyna de suo data.

præſertim cum pauperi iuſto eleemoſyna datur, quo cum Chriſtus habitat: cui fœtidum eleemoſynæ cibum dare, facinus lapidatione dignum eſt.* Quapropter Salomon alibi dicit, Hoſtiæ impiorum, abominabiles fiunt ex ſcelere.* atque alio in loco: Qui ſacrificium de ſubſtantia pauperis offert, ac ſi uictimet filium in conſpectu patris.* De ſuo igitur iuſto labore, aut iuſtis bonis, miſeratio explenda eſt: ut eleemoſyna propter Deũ, pro ſeipſo, hilaris, humilis, atque de ſuo, ad mundandum peccata fiat, non autem ad concitandam iram Dei.

*Chryſ. in c. 13. 10. ho. 72.
*Prou. 21.
*Eccle. 34.

§ QVINTI PARS PRIMA.

Paragraphi præcedentis correlaria.

CAMERARIVS. DIANA.

HOc igitur præſuppoſito, ſcilicet de alieno non licere eleemoſynam facere: ex hoc omnia quæ infra dicemus, deriuãtur. Primùm ut uxor non poſſit de bonis mariti eleemoſynam facere: quia uir dotis durante matrimonio dominus eſt: & de alieno feciſſe dicetur. Secus autem ubi parafrenalia bona habeat, in dotem non data, quæ ſua ſunt, uel ubi aliquid permiſſione uiri haberet: ut pote, ubi aliquid ex propriis laboribus lucraretur, aut alio quouis modo, ſua ſe-

¶ *Vxor de bonis mariti eleemoſynas largitur.*

cundum leges essent. Quod tamen non ita intelligendum est, ut consuetas eleemosynas à uiro fieri, ipsa quoque eo absente non faciat: non modo minutas, quas potest sola, sed magnas, ubi uir hæc sciens conniuentibus oculis id permittat: uel ex consueta uiri obseruantia id præsumi potest. Siquidem tunc uiro uolente dispensationi huic deputata præsumitur, Tutoris instar, qui secundum pupilli dignitatem consueta etsi magna sint, donat. * A qua sententia, filiorum quoque familias eleemosynæ dirigẽdæ sunt: tametsi in uita patris, quasi domini à Iuriscõsultis uocitentur: satis cum sit, ut patris interim non sua bona sint. De suo autem dabit, cuius aut patris aut iuris permissione liberam dispositionem habet: per peculia, castrensia, quasi castrensia, profectitia, & aduentitia discurrendo. Itidem & monachus, id quod prælato commissum est, ut de rebus monasterij eleemosynas faciat, absque licentia uera uel præsumpta, minimè consummabit: exempli gratia, in eleemosyna præsumpta, si minima daret, quod conforme uoluntati superioris præsumitur: aut si panem sibi necessarium pauperi pro parte frangere, & famem propter proximum hunc in modum sustinere uellet. Hunc enim illi similẽ in aliquo esse censeo, qui animam suam posuit pro fratribus suis. Ex quibus seruorũ quoque, seu domesticorum, atq; uillicorum, eleemosynæ regulã accipere debẽt, hac

¶ *Filiorũ eleemosynæ.*

¶ *Monachi eleemosyna.*

¶ *Seruorum eleemosynæ.*

hac tamen ratione, ut tunc hæc omnia locum habeant, cum necessitas extrema non urgeat: siquidem tunc furari pauperi liceret, & quod suum esset, ei daremus: sunt enim in casu isto, communia omnia, nec quãpiam propterea ob furtũ lex aliqua punit: eo quòd quasi de suo, omnia peraguntur. DIA. Vxoris, filij, monachi, serui, domestici, atque uillicorum statum, uno eodéque modo tu determinasti: haudquaquam illorum diuersas qualitates animaduertẽs. CA. Quoniam satis in similibus est, in eo de quo quæritur, similitudinem adesse: sufficiat nobis, neminem rei quæ datur dominum esse, tametsi alter altero liberior sit, maioráque audere possit. DIANA. Si de rapina non licet eleemosynas facere: cur simoniaci ea quæ simoniace acquirunt, raptores, item usurarij, & istiusmodi generis cæteri, pauperibus erogare compelluntur? CAM. Aliud est Deo hostiam offerre, sicut fit quando eleemosyna pauperi datur, quæ non potest esse iniusta, aut ex turpi lucro uenire: Domino dicente, non offeras mercedem prostibuli in domo Dei tui.*aliud uero ut ea quæ ex turpi causa adueniunt, non tanquã hostia Deo offerãtur: potius autẽ quia nec danti restituenda sunt, uel restitui non possunt, ne iniuste detineãtur: propterea cõsultum sit, ut sicut omnia malè acquisita in sacco fisci, qui publicæ utilitati deseruit, (ut iure sancitum est) reponuntur: eodem mo-

¶*Cur male parta, pauperibus erogamus.*

**Deut.* 23.

do in ſacco fiſci Dei,hoc eſt, in corporibus pauperum,qui ſaccus malè ablatorum ſunt, debeant cuſtodiri.quandoquidem hanc ob cauſam Ieſus ſaccum pauperum habere uoluit, quando loculos furi Iudæ commiſit: ut qui poterat eo modo totum mundum paſcere, quo quinque milia hominum pauit, ſaccum nobis commoſtraret, ubi omnia ad uſum pauperum cuſtodiantur. * *Auguſt. ſup. Pſal. 146.*

¶Meretricis eleemoſynæ.

Sunt tamen quibus placeat, de lucris quoque meretriciis,eleemoſynam fieri poſſe.* qui quidem tres gradus conſiderāt. primùm,eorum qui eleemoſynam Deo tanquam peccatorum hoſtiam per Chriſtum offerunt:& hanc ex meretricio in altari fieri poſſe, tum propter ſcandalum, tum propter ſacrorum reuerentiam * negarunt: ſcandalum, inquam,ne eccleſia uideatur fauere peccato, ſi de lucro meretricio oblationem recipiat: ſacrorum item reuerentiam, propter lucri immunditiam. * in quo multi malè Thomam intelligentes, illius authoritate putant, ut pro hoſtia peccatorum, exhiberi pauperi petenti extra altare poſſit: quod ea ratione dicere nequeunt, quia ſi de ſuo uno modo meretrix dat: non tamen de ſuo,id eſt,de munere quod à Deo habet,dat:& eleemoſyna quæ de Dei bonis non fit,quorum diſpenſatores nos ſumus,* nihil ualet: ut ſupra multis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis probaui:& paulò antè ſuperius,ubi illud Auguſtini citaui:quando dixit,ut nullus det,qui ab eo

**Thom. 22. q. 32. art. 7. 2. & 3.*

**ut ſuprà.*

**22.q. 86.3. ad primum.*

**1.Petr.4.*

non

non accipit qui non eget. Quis enim dicet ut Christo, in persona pauperis recte dãdo, supra al tare hostias non offeramus? num marmor Deo uiuo maius? Quis item ut Salomone in testimoniis supra citatis, totiẽs iustam atque honestam acquisitionem proponente, meretricem ab hoc excipiamus? quæ iniuste atque inhoneste acquirit, tametsi iuste Iurisconsultorum sententia certo modo statutam mercedem recipiat: ita quidem, ut nullo casu de eo quod datur à Deo, immo potius de eo quo dat Diabolus accipiat. Secundus uerò gradus (Thomæ sententia) eorum est, qui ad restitutionem uel dimissionem turpis lucri obligantur: in quibus quid iuris sit, dixi. Et tertius, eorum qui neque restituere, neque dimittere obligantur: sicut lusor (ut fert noua introducta ab hominibus consuetudo, quæ licitum lucrum hoc ludi lucrum facit) quem ea ratione de his eleemosynam facere posse ait: quia sua non aliena tunc sunt quæ tradit, in quo tria mihi occurrunt. Primum, non omnem ludum consuetudine esse approbatum, quin potius & leges multa genera ludorum uetasse: itidem & prætores uoce præconia, ne illis utantur, iugiter prohibere, quæ consuetudini ne introducatur resistunt. Secundum, quia si consuetudo introduxit ne eis restituantur, qui pecunias ludendo amiserũt, quãdo absque fraude luditur, & sui iuris sint: minimè introduxit ne pauperibus ero-

¶ *Ludi lucrum.*

gentur. Tertium, quia si Thomas dicit, Sic tradendo bonum opus facere: non tamen dicit, quod quasi de dato Dei ad redemptionem peccatorum lusor eleemosynas facere possit. DIA. In quo ergo opus bonum, si æternam uitam nō meretur? CAM. Multa bona opera sunt in seipsis: quæ minimè æternam, sed temporalē mercedem habent. Vt ab hac eleemosyna ex lumine in lumen deducatur. DIANA. Quis opinionis huius tuæ author? CAM. Meminisse oportet quando mulier illa peccatrix, eo unguento Iesum unxit quod amplexibus uenereis pręparatum erat: & tamen cum de remissione peccatorum Iesus ageret, minimè dixit, Vnguentum tuum saluam te fecit: Sed sic ait, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et paulò pòst: Fides tua te saluam fecit. fidem formatam illi cōmonstrans. Alibi quoque apud Matheum duo dixit: Primum, quod opus moraliter bonum unctio ipsa fuerit: Secundum item ut hanc remunerationem temporalem ex hoc haberet: quippe quia in memoriam eius, in uniuerso mundo, bonum opus hoc prædicaretur: * Matth. 26.
non autem cœlestia huic unguēto dedit. & hoc quidem non aliam ob causam sic factum: nisi quia iniusta acquisitio eius erat. DIA. Quid si iusto in ludo acquirat? CAM. Quanquā mercaturæ isto modo hoc lucrum comparari possit, consulo ut confessorum consilio pœnitentes

pare-

pareant, qui prudenter ludi, & personæ qualitatibus ac quantitate pecuniarum consideratis, animabus pœnitentium consulant.

CAPITIS TERTII
§. SEXTVS.

Omni petenti.

DIANA. CAMERARIVS.

CVr omni petenti? nónne Thobias inquit, Effunde uinum tuum super sepulchra iustorum, & non dederis peccatori?* Et alibi: Recipe iustum, & ne dederis impio.* CAM. Iesus tamen dixit, Omni petéti te tribue.* Et Paulus, Operamini bonũ ad omnes, maximè ad domesticos fidei.* DIA. Num filiorum panis, canibus dandus? CAM. Omni petenti dandum multifariam intelligimus. primum ut non rarò sed sępe fiat: quotiens, scilicet proximũ esurienté uidemus: nam affirmatiuum præceptum est, pro loco & tempore nos obligans, ut boni dispensatores superfluorum simus: sicut scriptum est, Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius: & iterũ, Redde proximo in tempore suo.* Secundo, ut omni petenti, recte diuidendo, non autem uni petenti totum detur, quemadmodum paulò pòst dicemus. Et tertio, ut non solum

*Tobiæ 4. *Eccl. 12. *Lucæ 9. *Galat. 6. *Eccl. 29.

¶ *Quomodo omni petenti.*

iuſtis Chriſtianis,ſed peccatoribus,immo & infidelibus eleemoſynas largiamur.inter quos prudentia opus eſt, de qua eodem in loco dicetur: duæ namque cauſæ dandi eleemoſynam ſunt: prima nimirum,quia Dei creatura is qui accipit eſt: & ſecunda,quia ſeruus Dei,quę ambo militant,quando Chriſtiano eleemoſyna datur.cùm uerò Iudæo uel pagano elargitur,una ſola, ſcilicet quia creatura Dei:quam bonus Deus, qui omnes paſcit, beneficio eleemoſynæ Chriſtianæ, paſcendum fore elegit: ita quidē ut modo Chriſtianum,modo uerò quaſi Chriſtianum propter Chriſti nomen recipiamus.unde uel magna,uel modica,uel nulla remuneratio reſultet. *DIA. Quid iſtud? CAM. Magnam mercedem is habet,qui iuſto in nomine iuſti,ut ipſum in tabernacula æterna recipiat,eleemoſynam dat:mercedem quoque habet, ſed minorem, is qui operi Dei dat, ut pote infideli propter Deum: nullam quando eleemoſynā operi hominis iniuſto,non autem operi Dei dat. DIA. Non ſatis hoc intelligo. CAM. Operi Dei eleemoſynam tribuimus,quando peccatori,uel infideli,tanquā creaturæ Dei eleemoſynam damus: operi hominis largimur,quādo ob peccatum in peccatore exiſtēs, creaturam diligimus,& propter peccatum panem damus: exēpli gratia, cum hiſtrionibus, mimis, cæteriſque eiuſdem generis hominibus propter peccatū, in quo uiuunt, aliquid abſque pruden-

¶Eleemoſyna modo magnā,modo modicā, modo nullā, remunerationē habet.

** Chryſo in caput, Matt. 10.hom.26.*

prudētia damus:quibus ſummotis,minimè daremus. Hoc enim uetant ſcripturæ à te citatæ, cùm admonent, ne impio demus. Demus ergo omni petenti eleemoſynam, ne cui non dederimus, ipſe ſit Chriſtus, quando cuicunque in nomine Chriſti dederimus,ipſe eſt Chriſtus.* Sic enim agendo, quotienſcunque manum extendimus, Chriſtum cogitamus. * Omni petenti,inquam,ſimul & egenti: ita ut famem petentium expellamus, non autem uitia domeſticorum augeamus. * Siquidem Deus haudquaquam dixit:da filiis, da fratribus, da propinquis diuitibus:quos etiā ſi haberes,iure his Dominus præferretur, ſed da pauperibus: immo da Chriſto, qui in pauperibus nutritur. * ſemel enim quod Ezechiel dixit, Panem ſuum eſurienti dederit. minimè his dandum eſſe, qui ructant plenitudine,ſed his qui inanitate cruciātur, admonet. * Omni igitur petenti danda eſt,etiam ignoto.* Sic enim Iob dicebat, ſe nunquam prætereuntem deſpexiſſe: ignotos per hanc uocem,prætereuntium,commōſtrans: * quaſi non cui,ſed propter quē detur inſpicere debeamus.* Da igitur, atque manibus propriis omni cum humilitate da, Paulum ac Barnabam imitando, qui propriis manibus eleemoſynas ſubminiſtrabant.

*Aug.ho.39. tom.10.

*Hier.ad Furiam.col.5.

*Hiero.in loco citato.

*Hierony.ad Eluidiā.q. 1.

*Hiero. in Ezech.cap.18.

*Greg. mora. lib.21.ca.14.

*Iob 30.

*Aug. in locis citatis.

¶ Eleemoſyna indigentibus dāda.

CAPITIS TERTII § SEPTIMVS.

Absque mora.

CAMERARIVS. DIANA.

ABsque mora quoque ipsa eleemosyna elargienda est, ut minimè dicas, si petierit dabo. DIA. Nónne scriptum est, omni petenti te tribue? *CAM. Vtique. DIA. Petitionem igitur præcedere necesse est. CAM. Cum scriptura inquit, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, eum ostendit, qui dum uni petenti dat, alterum non petentem præuenit. DIA. Qualis quærendi modus? CAM. Esto curiosa, esto prouida, attende unde quisque uiuat: & si unus ad te uenit, ut petat, alium tu præueni, ne petat: sic enim de primo scriptum est, Omni petenti te tribue: de secundo uerò, sudet eleemosyna in manu tua, donec inuenias iustum, cui eam tradas. *DIA. Quid sudare est? CAM. Nempe ut decimam fructuum nostrorũ, quam Deo damus, in angulo domus, quasi in Dei ęrario ponamus: ut inuento iusto indigente, illi quod debemus persoluamus. *DIA. Decimas & eleemosynas simul? CAM. Decimam bonorum meorum do (Pharisæus dixit) quem ubi iuxta præceptum Domini superare uelimus, qui iussit ut

Lucæ 6.

Augu. Psal. 103. col. 26.

¶ *Decimæ & eleemosynæ simul dandæ.*

Augu. Psal. 146. col. 11.

ut iustitia nostra illorum iustitiam superabun-
*Lucæ 18. det, omne superfluum adhuc dare obligamur. *
Tacet namque mendicus, intereadum pallor in
eius facie loquitur, aut penè lapsus iacet: ad
quem pietas festinare iubet, ut ei omni mora
posthabita succurramus, ne lapsus homo id ab
homine petat, pro quo Deum orat, ut ei panem
quotidianum det. Hæc sanè expendit Salomon,
quando dixit: Itaque Deum honora de tua sub-
stãtia, & de primitiis omnium frugum tuarum
da pauperibus, & implebuntur horrea tua satu-
*Prou. 3. ritate, & uino torcularia redundabunt. * Dei
horrea igitur repleamus, ne eũ qui potest bene-
facere, impediamus: quod esset ubi moram face-
remus, in benefaciendo proximo nostro: est e-
nim Deo odiosum, ut dicas amico tuo, Vade, &
reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis da-
*Eccl. 29. re. * non enim scis quid euenturum sit sequenti
die. Audisti præceptum non differendi, ut in a-
lium sis misericors, & ne differendo in te crude-
*De uerb. do. serm. 59. lis sis? * DIA. Supra mel dulce hoc audire mihi
fuit. CAM. Satius ergo præuenire indigentem
existima, quàm expectare petentem. Etenim si
hoc audire ipsi Deo displicet, cum dicimus: Va-
de, cras dabo: quàm odiosum aliud erit, cum di-
cimus, non dabo? præsertim cum minimè de
nostro pauperibus elargiamur, sed quod suum
*Amb. in lib. de Nabute Israelita. c. 12 est reddamus. * Sirach audiamus dicentem, Su-
per humilẽ fortior esto animo, & pro eleemosy-

na non trahas illum: propter mandatum aſſume pauperem: & propter inopiam eius, ne dimittas eum uacuum: conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Eccl. 29. Siquidem talem diligentiam à nobis in ipſa eleemoſyna Deus exigit, ut alibi dixerit: oculos tuos ne tranſuertas à paupere.* quod tunc quoque conſummabitur, quando is qui parum habet, ſe magna dare uelle oculis oſtendit, dum in illa paucitate panem frangit. is uerò qui nihil habet, uoluntatem cum Petro exhibet, quando dixit, Aurum & argentũ non eſt mihi, quod autem habeo, tibi do. qui uerò magna, oculos non auertit, ſi Paulum audiat dicentem, Non ut aliis ſit remiſſio, uobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate, ueſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia, ueſtræ inopiæ ſit ſupplementum.*

*Eccl. 4.

*2. Cor. 8.

CAPITIS TERTII §. OCTAVVS.

Cum prudentia elargita.

DIANA. CAMERARIVS.

¶ Prudẽtia.

CVr prudentiam eleemoſynæ elargiendæ addidiſti? CAM. Quoniam propheta ſic ait: Diſperſit, id eſt, partitus eſt: dedit pauperibus,

non

non autem uni pauperi totum quod habet donauit: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Ieſus item: Vade, uende omnia, & da pauperibus.* & non dixit, da pauperi. Prudentia præterea opus eſt, ut neque ubi neceſſitas urget, minus quàm facultas tua poteſt: neque ultra quàm petens indigeat, eligas dare.* eo quod neque auarum te Deus, neque profuſum uult: collocare te uult quæ habes, non proiicere.* prudentia item, ut unuſquiſque quãtum præualet, tantum porrigat. qui habet aurũ, det aurũ: & qui argẽtũ, argentũ: qui uerò non habet pecuniam, cum bono animo fruſtum panis det: & ſi non habet integrum, eum quem habet frangat, & partem egeno tribuat.* quia ſcriptum eſt: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude.* quæ uerba penſanda prudenter ſunt, ut abundans ex parte dantis atque accipientis, ubi fieri poteſt, non autem ſuperabundans ipſa eleemoſyna ſit, uel plus quàm tu poſſis, uel alter indigeat. Et denique maxima prudentia in ipſo perſonarum delectu egemus, ut potius uni quàm alteri demus. DIA. Acceptionem perſonarum in eleemoſynæ partitione admittis? CAM. Cur non, ſi charitas ordinem habet?* DIA. Propterea ergo Auguſtinus dixit: Omnes homines æque diligendi ſunt, ſed cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro

*Pſal. 112.
*Marci 10. Lucæ 18.
*Chryſ. ſuper Act. apo. c. 9.
*Aug. de decẽ cõdiſ. col. 1.
*Aug. de rectit. cath. cõuerſ. col. 7.
*Tobiæ 4.
*Cantic. c. 2.
¶ Delectio perſonarũ.

locorum & temporum, uel quarumlibet rerum opportunitatibus cõstrictus, tibi quasi quadam sorte iungitur. *CAM. Male Augustini uerba intelligendo, quidam contemplari cœperunt, ut æqualiter omnes homines diligere obligemur, bonũ in genere amico optando, ut pote si beatitudo sit æterna: si uerò dilectio ipsa propter actũ dilectionis consideretur, plus unum quàm alterum diligere queamus. DIA. Quid tu sentis? CAM. Minimè Augustinũ dixisse, ut charitas, unum plus altero diligere non possit: nam contrarium pluribus in locis idem Augustinus asseruit: neque in loco illo misericordiam miserationi comparauit: uel ut inter affectũ & actum distinguendo, beneficentiam à beneuolẽtia in modo miserẽdi distinguere uoluerit: sed hoc dixit. nẽpe ut eo modo quo Deus prudentia sua sic omnes diligit, ut uelit omnes saluos fieri, & cũ obex in medio ponitur, quidam non autem omnes saluantur. itidem charitas in se omnes sic diligit, ut uere optet omnibus se beneuolam ostendere: uerùm quia plerunque impeditur, quibusdam cosulat, ubi omnibus consulere non possit. Deinde uerò, post enarrata uerba, ut modum ostẽdat, quo plus uni quàm alteri consulere obligetur, uerba sequentia subiungit: [Sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dare oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorũ neuter alium uel indigen-

*Aug. de doctri. Christ. cap. 28.

indigentia, uel erga te aliqua necessitudine superaret, nil iustius faceres quàm ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utrique nõ posset.] ubi bellè uides in casu illo Augustinum loqui, quando utrique dare uellet, sed ab inopia coactus, unique dare astrictus, sorte hũc uel illũ eligit: nil penitus inter cõmemoratas uirtutes, quomodo intrinsecus uel extrinsecus operentur distinguendo. Et paulò pòst, ut ab hoc exemplo propositam quęstionem determinet, subdit: [Sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas] non autem dicit, actu nolis. Verbum hoc nequeas, obserua, quasi intrinsecus & extrinsecus ex æquo utrumque uelit, sed nõ possit. Postea sequitur: [Pro sorte habendũ est, prout quisque tibi colligatius temporaliter adhærere potuerit] sortem ipsam coniunctionem, siue amicitiæ, siue necessitudinis uocitans: quasi electio sua non sit, sed Dei qui hac uia illos elegit. quæ longe ab his distant, quæ alij ex Augustini uerbis hauriunt: cuius scopus fuit ostẽdere, ut charitatis mandatum, quod minimè affectu (ubi quis possit) sed opere consummatur: satis impleatur, ubi omnes eos quos diligis, pascere non possis: satis esse putans, ut omnes diligãtur, paucis uero necessitate urgente, eo modo quo dictũ est, cõsulatur. Postremo uerò loco in sequentibus uerbis de illo bono communi salutis tractat, quod supra propositum fuit. DIA. Duos

ego Iacobitas ſemel audiui, qui totis uiribus cõcertantes, unus Thomam, alter uerò Caietanum impugnabant.* C A M. De induſtria, controuerſias iſtas, tecum diſſerendo omiſi. Auguſtinum ſtudioſi, qui illum habent, legant: ut quemadmodum ueritas habet, iudicare queant. quicquid enim decernant, mea nõ intereſt, modo in hoc mecum ſentiant: quippe, ut neceſſitate cogẽte, ubi ea quę in pauperum eleemoſynis eroganda ſunt, inter omnes partiri non poſſint, ordo diſpenſatori reſeruatus ſit, ut quoſdam ex illis prudenter eligat. *22 q. 32. ar- art. 9.

§. OCTAVI PARS PRIMA.

Ordo eligendi.

DIANA. CAMERARIVS.

QVis dandi ordo? C A M. Hæc Pauli uerba ſunt, Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè ad ¶ *Ordo.* domeſticos fidei.*Vnde primum prudentiæ gra *Gala. 6. dum colligere poterimus: ut cũ fideli & infideli ſimul eleemoſyna diuidi nõ poſſit, fidelis eligatur. Secundo uerò loco alia diſtinctione opus erit, ut prius ſuos maximè domeſticos quis paſcat, ubi omnes paſci non poſſint. Paulo authore cum ait: Siquis autem ſuorum, & maximè domeſti-

meſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. *DIA. Qui ſui dicuntur? CAM. Aliter Iuriſconſultus ſuitatem conſiderat, aliter Paulus hic eam uſurpat. Dixerat namque ut mutuam uicem reddamus parentibus, nunc autem cum uerba iſta profert: appellatione ſuorũ de omni grege huic uel illi commiſſo loquitur: ſiue ſecum in eadem domo, ſiue extra domum ſtent. Sic enim Paulus exorditur [Et hoc præcipe:] ſupple omnibus qui bonorum Dei diſpẽſatores ſunt.* [ut irreprehẽſibiles ſint.] at ſi quæras quid præcipiam? ſequentia uerba e-ueſtigio addit. [Si quis autem ſuorum] quorũcunque paſcẽdorum, [maximè domeſticorum] quos magis paſcere debet [curam non habet, fidem] factis [negauit] quinimo [eſt infideli deterior] non bene miniſtrando quod miniſtrandum ſuſcepit: id quidem quod Petrus dixit, melius eſſe uiam iuſtitię non cognoſcere, quàm poſt agnitionẽ reuerti retrorſum.* DIANA. Quos tu domeſticos uocas? CAM. Patrem, matrem, filios, uxorem, ac cęteros quos domi paſcis, aut ſecundum charitatem paſcere debes. DIA. Nónne natura docet, neceſſitatis tempore cibaria omnia omnibus communia eſſe? * CAM. Idcirco igitur, quia cõmunia bona hæc dicuntur non ſua, ſuperflua non ſunt denegan-da, nec ſimul in illorum partitione magna ſolertia utendum eſt, * ut domeſtici omnino præfe-

*1. Timo. 5.

¶ Sui.

*Baſil.

*2. Pet. 1.

¶ Domeſtici.

*L. 2. ff. ad leg. Rhod. de iac. §. acui. in eadẽ in fi. *47. diſt. ſicut. 12. q. 1. duo: & q. 2. aurũ 86. diſ. non ſatis.

Mm

rantur. DIANA. Censes ergo, ut iis qui sangui-
¶ Coniũcti. ne nobiscum sint coniũcti, eleemosynas potius erogemus, quàm extraneis etiã Christianis. CA. Quid ni? nónne Paulus domesticos prætulit? satius cum sit tuis subuenire, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere.* Sunt nãque quadam sorte nobis coniuncti (Augustinus inquit) eámque ob causam præferendi.* DIA. In his itaque prudentia cõsistet. CAM. Alia prudentia opus esse Thomas inquit, ut secũdum differentiam coniunctionis & sanctitatis, & utilitatis, e-
¶ Iustiori. leemosynas largiamur: nam multo sanctiori minorem indigentiam patienti, sed magis utili ad omne bonum est magis eleemosyna danda: quàm personæ propinquiori: maximè si non sit multum coniuncta, cuius cura spiritualis nobis immineat: & magnam necessitatem non patiatur.* DIA. Tot circunstantias Thomas addidit, ut etiam iniustus præferendus sit, si omnes simul concurrant. non quidem tot circunstantiis opus erat, si uerborũ Eliæ memor fuisset:
¶ Farina uiduæ. quando miserrimæ uiduæ optanti se & filium pascere, deinde uerò mori: fac mihi primùm, Elias respondit.* CAM. Non sic Elias locutus fuisset, nisi farinæ oleique augmentum præsciuisset: ut quæ necessaria proximis erant, exegisset: neque uidua incredula fuit, ut absque hac fide mortem sibi & filio comparasset. Docẽs nos, ut credamus, quod si cum hac & altera uidua,

*Amb. lib. 1. Offic. ca. 30.
*lib 1. de doc. Christ. c. 28.
*Thom. 22. q. 32. art. 9. c.
*3. Reg. 17.

quæ

quæ totum uictũ suum in gazophylacium posuit, totum dederimus, sperantes Deum nobis in his quæ ad necessarium uictum pertinent, non defuturum, sic omnino erit. Siquidem scriptum est, Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, * & iterum redde proximo in tempore suo: confirma uerbum, & fideliter age cum illo: & in omni tempore inuenies quod tibi necessarium est. eo quod pietas ad plura utilis est promissionem habens uitæ quæ nunc est, & futuræ. * is enim qui uiduæ præcepit, ut Eliam pasceret, Eliæ uim imperandi dedit: uiduæ item fidem & obedientiam præstitit, ut libero cum arbitrio omnia ab utroque consummarentur, quę si nobis eueniant, illorum fidem imitemur, qui omnia uendiderunt, pauperibúsque dederunt, ut Christum sequi possent. * Vbi uerò ad hunc gradum minimè peruenerimus, Deo gratias agentes, Thomæ solertia utamur, ut necessitates, atque indigẽtias pensantes, cui, quomodo, quãdo, & quantum dare expediat, ratione omnia discutiamus. Quis enim prudens ille erit, qui iusto dare deneget, recepturo in æterna tabernacula, ut affini peccatori det? scriptura dicẽte, Da misericordi, & ne suscipias peccatorem: benefac humili, & ne des impio. * ubi, scilicet qualitates à Thoma consideratæ accedant. * eo quòd natura propria ob peccatum haudquaquam spernenda est, immo commemoratis circunstãtiis non ac-

*Eccl. 29.
*1. Timo. 4.
*Matth. 19.
*Eccl. 12.
*22. q. 32. art. 9.

cedentibus, diuina præcepta ſequendo, proximus magis nobis coniunctus præferēdus eſſet. * *Aug. in loco citato.* D I A. Pone te habere patrem, uxorem & filium, omnino fame morituros: tu uerò unum paſcere poſſis, cui tunc dandum? C A M. Patri prius cibum eſſe porrigendum reſpondeo. D I A. Nónne ſcriptum eſt, Relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ? C A M. Ita eſt, ut plus propter ſobolem procreandam, uxorem diligat. *nec propterea in cæteris pater ma- *Gene. 2.* gis diligendus non erit, ſtante præcepto Domini, Honora patrem tuum & matrem tuam: propter quod mandatum, parentes, tam ſuis quàm domeſticis Paulus prætulit, dicens, Mutuam uicem redde parentibus.* quaſi quod ſicut ab ipſis *1. Timo. 5.* prius naturam & lac, atque cætera neceſſaria habuimus: ex æquo ipſis uices reddere obligemur, ut eorum naturam conſeruare noſtris cibariis ante omnes eligamus. D I A. Cur reliqua taces? C A M. Hoc explorandum ob illos duxi, qui parentes non modo negligunt, uerumetiam propter uxoris atque filiorum amorem odio habēt, male paſcendo, maléque cibando, quorum uita nunquam erit longęua ſuper terram, cætera autem de uxore & filio, quia non contingunt, proinde nec examinanda fore duxi. Et ſummatim ita prudenter mea ſententia in hoc uerſandum eſt, ut bonum gradum miniſterij tuo ingenio augeas: proximiorem in æquali caſu, remotiori

præpo-

præponendo: domesticum uicino: uicinum extero, exterum notum, alteri ignoto: uel ubi inæqualitas adsit: ordine turbato iustum proximo, iustum peccatori, magis egentem, minus egenti: extremam necessitatem, tollerabili necessitati præferendo: queadmodum multis exemplis superius explicatum fuit.*

*lege Ambr. offi.li.1.c.30.

CAPVT QVARTVM.

Eleemosynæ spirituales.

CAMERARIVS. DIANA.

HActenus dimidium itineris perfecimus. DIA. Quo pergere uis? CAM. Duo námque genera eleemosynarum sunt, alterum nimirum quod est in erogando positum, iuxta illud: Date, & dabitur uobis. Alterum uerò in remittendo, cuius scriptura meminit, quando dixit: Remittite, & remittetur uobis.* Vnde quasdam eleemosynas corporales esse haurimus, de quibus hactenus egimus: quasdam spirituales, quas enarraturi sumus. Tantæ enim uirtutis eleemosynæ spirituales sunt, ut siquis omnino dimittat & non det, etsi non plenè operetur, meliorem tamen partem misericordiæ teneat: qui autem dat, & minime dimittit, omnino misericordiam nullam faciat, quia ab omnipotēti Deo, munus

*Aug. home. 29.tom.10.

non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur * DIA. Maioris ergo potentiæ ſpiritualis eleemoſyna erit. CAM. Si ubique magnum locum panis fractus eſurienti habet, (Augustinus inquit) quantum locum ibi credendum eſt habere miſericordiam, qua homo eripitur diabolo, tanquam leoni rugienti, & quem deuoret inquirenti?* Cum enim dixit, Date eleemoſynam, & ecce omnia mũda ſunt uobis: non ſolum de his intellexit, qui dãt eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo ueſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ęgro & incluſo uiſitationem, captiuo redemptionem, debili ſubuentionem, cæco deductionẽ, triſti conſolationem, non ſano medicinam, erranti uiam, deliberanti conſilium, & quod cuique neceſſarium eſt, indigenti: uerumetiam, & qui dat ueniam peccanti, & qui emendat uerbere, in quem poteſtas datur, uel coercet aliqua diſciplina: & tandem peccatum eius, quo ab illo lęſus eſt, aut offenſus, dimittit ex corde, uel orat ut dimittatur: non ſolum in eo quod dimittit atque orat, uerumetiam in eo quod corripit, & aliqua emẽdatoria pœna plectit, iccirco eleemoſynam dat quia miſericordiam præſtat.* ad hoc enim illud pertinet, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quiſquis enim illi, qui in eum peccauit, dimittit ignoſcẽdo peccatum: proculdubio eleemoſynã facit.*

*Greg. Mora. lib. 22. c. 12.

*Auguſt. epi. 199.

*Augu. ench. cap. 72.

*De ciuit. Dei lib. 21. ca. 22.

Porro

Porrò qui dixit, frange panem esurienti, minimè da panem, sed frange panem, dixit: pauperem non excludens: qui etsi panem non haberet, ipse tamen dum pane caret, abundantius esurienti panem frangit, immo diuitibus pinguiores eleemosynas erogant. Das sanè tu panem esurienti ac bibere sitienti, ille autem pedes claudo ad ambulandum præbet, atque oculos cæco ad uidendum accommodat. Sic enim Iob dicebat: Oculus fui cæco, & pes claudo.* & cum aliud facere nequit, aut cubiculum, aut cubile accommodat, aut uoluntatem pro opere exhibet, quæ satis ei sunt.* Senésque, atque ægrotos supra terga suscipit, immo sanos diuites, qui ad flumen ueniunt, nec transire absque metu futuræ infirmitatis possent: quando si denudatis pedibus transirent, frigescerent, ægrotarent, morerentur. Pauper plerunque exercitatiore corpore accedens illos traiicit: nónne pauper tunc maiorem eleemosynam in diuitem facit?* num quia pauper pane caret, iustus non erit? tantum enim quantum uult pauper dat, quia uoto dat.* hæc enim charitas ex corde, non autem ex arca procedens, illa est, quæ nihil à se abdicans, multa donat: ut pote si pro exemplo uiduam aliquam desolatam proponamus, aut pupillum indefensum, cui manum porrigas, faueas, consulas.* Hæc illa est quæ apostolos à partitione pecuniarum, quam aliis crediderunt abdicauit: quo fa-

¶ *Pauperũ eleemosynæ.*

*Iob 29.

*Aug. in ser. de tempore. 62. Sabato post 1. dom. in quinquagesima ser. 1.

*Aug. Psalm. 125.

*Hier. in Psal. 111.

*Chrys. in acta. apo. ho. 25.

ctum est, ut cum denudatus pecunia Petrus Apostolus esset, audacter dixerit, Argentum & aurum non habeo: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine domini Iesu surge, & ambula. * *Act.3.
de illo thesauro capiens, quem supra aurum & topazion Psaltes magnificabat. An putas paruā esse eleemosynam, animam cōsilio destitutam, & extremè periclitantem, atque febrium incendio detentam, morbo posse liberare? * aut contra non animaduertunt hi qui spiritualia seminant, quantæ impietatis sit, animabus periclitantibus necessaria ad salutem non ministrare, quæ poterant uiuere in æternum, si ministrata fuissent? Quanto enim melior est anima corpore, tanto meliora sunt quæ ad salutem animarum, quàm quæ ad sustentationem corporum ministrantur: contra uerò grauius illas omittendo, peccamus. * Hæc expendant prælati, hæc animaduertant doctores, præsertim hi qui concionibus uacant, ut sciant quantum beatitudinis sibi acquirant, si diligentes fuerint in uerbo Dei prędicādo: & quantū damnationis, si fuerint negligentes. Paulū audiant, obsecro, quando dixit, Væ enim mihi, nisi euāgelizauero: si enim uolēs hæc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, sola dispensatio mihi commissa est: cum pœna supple, sicut dixerat, Væ enim mihi, nisi euāgelizauero. * Hæc enim illa charitas est, quæ neminem excusat: dicere namque possunt multi, non

*Chrys. in acta. hom. 25. col. 5.

*Chrys. in ca. Matth. 25. home. 54.

*1. Cor. 9.

habeo

habeo quod tribuam indigenti: non possum ieiunare frequenter: & à uino & carnibus abstinere non possum, nunquid dicere poterunt, charitatem se habere non posse? ipsa certè est, cuius possessio tanto plus augetur, quanto amplius erogatur: ita ut de thesauro cordis sui quo tribuāt absq; ulla diminutione perpetuò proferre possint.* Isthæc igitur duo coniungamus simul, ut dimittendo, misereamur: atque miserendo pro Deo, cui proprium est misereri & parcere, erga proximum habeamur: dandóque, Christo commodemus, secúmq; fœneremur: itáque uitam ducentes ueram beatitudinem assequamur, benemeriti illud Prophetę audire, Beatus uir qui miseretur, & commodat.

*Aug. ho. 6.

CAPITIS QVARTI §. PRIMVS.

Eadem de re agitur.

DIANA. CAMERARIVS.

FAcilè itaque principes omnes qui bonis abundant uita comite hoc mundo gaudere poterunt: deinde uerò post mortem, propterea quia corporales & spirituales eleemosynas egentibus non denegarūt, summo bono frui. CAM. Quid si nullas elargiti fuerint, nec spirituales

aliquãdo ipsi acceperint? DI A. Quod exitium istud est? C A M. Magna certè principum calamitas, ut Dauidis uerba illa nunquam ponderent: Anima eius in uita ipsius benedicetur, confitebitur tibi cum benefeceris ei.* DI A. Quid *Psal. 48.
uerba hęc sibi uolunt?* C A M. Principum animæ sunt, quæ in uita ipsorum à clientibus, qui semper astant, spiritualium eleemosynarum loco, sirenum instar maximis adulationibus laudantur. DI A. Hinc igitur cõsuetudo increbuit, ut perniciosi assentatores beneficiũ quod àmanu domini sui suscipiunt, tandiu ueritatis loco subrogent, benedicántque quandiu principes illis benefecerint. C A M. Hinc certè fit, ut ueritatem nullo unquam tempore oculis cernere, aut auribus audire, uel manibus contrectare tales principes possint: quandoquidẽ adulatores adeò blanda facie eos audientes decipiũt, ut uitiis alimẽta ministrando, perpetuę mortis laqueis ipsos interimant. Quis enim eorum nõ misereatur, qui quantumlibet sancti & iusti sint, dum tanquam homines in aliquod peccatũ incidunt, etsi conciones audiant, Paulum tamen non habeant, eorum uitia increpãtem, atque dicentem, Si hominibus placerem, Christi seruus non essem: puténtque proinde omnino, eam ob causam non peccasse, quia à nemine de se quod peccauerint, audiunt: nónne Regi Dauidi similes habendi sunt? quando alium occidere pro eo quod ipse
perpe-

perpetrauerat, properabat, donec Propheta Na-
*2.Reg.12. tan ueritatem ei nuntiauit. *DIA. Homines
quidem doctissimi à confessionibus principi-
bus non desunt, qui illos clanculum admonere
possunt? CAM. Habent certe, an tamen bene
suo officio ipsi quoque fungantur, & soli Deo
seruire uelint in his spiritualibus eleemosynis,
quas principibus largiuntur, Deus scit, qui cor-
da hominum nouit: ille est cui patet quò illi ten-
dant, timeant nec ne, aut aliter quàm nouerint
res ipsas persuadere fauoré aucupantes, & præ-
mia, laborent. Non quidem abs re igitur Salo-
mon dixit: Cũ detractoribus ne miscearis, quo-
niam repente ueniet perditio eorum: & ruinam
Prou.24. utriusque quis nouit? tam uidelicet illius qui
adulatur, quàm illius qui aurem adulationi ac-
commodat, dum seruili potius quàm ingenuo
liberalíque officio, qui canum instar cauda &
corporis gesticulationibus Dominis adulãtur:
itaque album nigrum, nigrúmque album esse
dicunt. DIA. Probe. CAM. Quando uel una
ueniet dies, ô domina, in qua princeps aliquis a-
dulatori dicat: Sedens aduersum fratré tuum lo-
quebaris, & aduersum filium matris tuæ pone-
bas scandalum: hæc fecisti, & tacui. Existimasti
iniquè quòd ero tui similis? arguã te, & statuam
Psal.49. contra faciem tuam. nec adeò principes atten-
tas aures calumniantibus præbeant. Quando hi
qui astant, dicere eis audebunt: Elige tibi consi-

liarios bonos, Deum timentes, & ueritatem a-
mantes: & nõ placeat tibi iniuria miniſtrorum.
DIA. Cauſam audire expecto, ob quam ditiſſi-
mi principes, nullam corporalé eleemoſynam
facere ſecũdum iuſtitiam poſſint. CAM. Quo-
niam eam iuſtè feciſſe non dicimus, eum qui
ſpirituales eleemoſynas contemnit. DIA. La-
tius pro ſalute omnium iſta tractanda eſſet.
CA. Omnino: ſed ab aliis qui huic officio præ-
ſunt. ſat enim eſt, hæc pauca narraſſe, in quibus
id ſcribens quod ſentio, id ſentiens quod ſcri-
bo, calamus cum mẽte concordet. Tu uero, quę
una ex principibus es, ſic uitam ducas, ut cum
Regio paſtore tandem dicere poſſis, Miſericor-
diam & iudicium cantabo tibi Domino: facien-
tes præuaricationes odiui: declinantem à me ma
lignum, non cognoſcebam: detrahentem ſecre-
tò proximo ſuo, hunc perſequebar: ſuperbo o-
culo, & inſatiabili corde, cum hoc non ede-
bam: ambulans in uia immaculata hic mihi
miniſtrabat: non habitabit in medio domus
meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua,
non direxit in conſpectu oculorum meorum:
& denique, ut domus tuæ facta ſic percontа-
ri uelis, ut præceptum correctionis erga illos
implere poſſis, quo utilius nihil. ſiquidem pauci
erunt, qui à ſuo principe correpti, rurſum pecca-
re, aut non erubeſcant, aut non potius perhor-
reſcant. hũc enim in modum animas proximo-
rum

rum ſaluare poterunt,quod plus eſt quàm exinanitos ſaturare,eò quòd nulla maior humilitas illa erit, quando is qui præeſt, hæc ſpiritualia minoribus miniſtrat: tunc certè Chriſti perſonam induit, qui Rex Regũ cum eſſet, ſic fratres corrigebat. O q̃ pulchra humilitas principũ eſt, ſicuti experiẽtia docet, quãdo Rex noſter uel ſuos etiam infimos ſubditos tam benignè audit, uel ſanandis ſtrumis ſeu ſcrophulis tanta cum deuotione & humilitate operã dat. Sed ô quàm maxima,ſi malos mores,ſiqui ſunt,aulicorũ corripiat. DIANA. Vtinam omnia per ſe poſſet, & confeſtim uideres quàm deditus religioni ſit. CAM. Quis Regis noſtri humanitatem,bonitatémque apertiſſimè non cernit? ſat quidem eſt,dum non poteſt omnia, per ſe agat pauca, & reliqua per alios curet.Regum ſanè ſpirituales eleemoſynæ magnæ hæ ſunt,quas populo elargiri obligantur: proindéque potius eligendæ, quàm templa erigere,uel bona indigentibus dare,tametſi utrunque bonum. Hanc itaque charitatem, quotquot Reges aut inferiores reguli ſunt, guſtare minimè negligant: ſiquidem ſcriptum eſt, Rex qui iudicat in ueritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. Beata terra, cuius Rex nobilis eſt, & cuius principes ueſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum: ne non guſtando, eueſtigio audiát, Væ uobis diuitibus,qui habetis hîc conſolationes ueſtras.

CAPVT QVINTVM.

Lazari uiuentis cum Epulone dialogus.

LAZARVS, EPVLO. ARCHITRICLI-
NVS, RVFINVS, *Epulonis famuli.*

HIc ante fores iaceo: ad uos, ô uiri diuitiarū, sermo meus est, date esurięti eleemosynam qui fame perit. EPVLO. Quis ille est, qui foris clamitat? illé ne qui ante ostium iacere solet? LAZARVS. Surge qui dormis, ô tu qui splendidè quotidie epularis: & buccellam panis mihi frange: ne uelis sub hac falsa comessationum beatitudine, quasi in somniis uitam ducere: ne ubi sero euigilaueris, nil in cœlis reconditum inuenias, quod in Christi ærario, tibi conseruatum sit. Prophetæ uerba audi, cum ait: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis. * EPV. *Psal. 75.
Vos nequissimi ministri, pœnas huius sceleris dare deberetis: ést ne consessus iste, ab homine plagis corroso ad nauseam prouocandus? proiicite ipsum, ne amplius uoces eius audiantur. LAZA. Noli per gulam ea in terra consumere, quæ per eleemosynam debes in cælo recōdere: diligenter conscientiam tuam interroga, ne per ebrietatē perdas, quod per eleemosynam

acqui-

acquirere nunc posses. EPV. Adhuc iste oblatrat? dormiúnt ne canes? ARC. Canes omnes à cathenis iam soluimus, uerùm cum ut morderent ipsum accessissent, nescio qua arte deliniti, pedes eius lambunt. EPV. Nouus ne Daniel hic est, quem leones in præsentia uenerentur? dic ei ne me conturbet, iam uides quot mercatores hîc adsunt, quot item architecti, quibús cum prudenter de re familiari hodie ratiocinādum est, aliâs accedat, tum accipiet aliquid. AR. Tace paululum, nam herus meus fœnori, ædificiísque construendis nunc uacat. LA. Domino suade, ut decimam partem mihi debitam denegare nolit, ne fortè Deus irascatur, & reliquas ab eo auferat nouem. EPV. Taceat nequam, nisi uult uapulare: num ego agapes non facio? num uinctis singulis quibusq; diebus in carcere uictū mitto, nudos uestio, peregrinósque suscipio? adeò enim ceruicem mendici hoc tempore erexerunt, ut rationem quoque eius exigant, quod piè pauperibus præbemus. LA. Quid præbes? num cum uidua tu totum uictum tuum in gazophylacium coniecisti? aut potius inani uniuersa sumptu proiicis, magnifica conuiuia, & potationes inebriantes excogitans? modo enim tu alios uocas, modo ab aliis uocaris Itaque nūc tu consumis, nūc alios consumere cogis: duplicem tibi præparans cruciatum: alterum, scilicet ab his quæ tu, alterum ab his qui hortatu faciūt

tuo.* EPV. Miſerandam uitam diuites ducũt: *Chryſoſt. in Matth. 24. homi. 78.
uita illis ob eã cauſam data eſt, ut pauperũ uen-
tres expleãt? LA. Nõ equidẽ adhortor ut omnia
tua abiicias: fruere omni proſperitate: ſed cũ ſa-
tisfeceris tuo uſui, quæ ſuperuacua tibi & otioſa
iacẽt, neceſſariáq; ſunt aliis, diſtribue fame labo-
rantibus, & gelu rigeſcentibus. EP. Satis ei erit
qui ſua proſperitate frui poteſt, ut in paucis uo-
bis hoſtiatim mendicantibus ſubueniat. LA.
Haccine de cauſa miſericors Deus plura tibi lar-
gitus eſt, ut in tuum ſolius uſum impendas quæ
dedit, & reliqua in arculis & promptuariis recõ-
das? ſanè non: ſed ut iuxta apoſtoli admonitio-
nem, abundantia tua aliorum inopiam ſupple-
at.* EPV. Nónne ſuppleo, ſi nulla dies ſine e- *2. Cor. ca. 8.
leemoſyna præterit? LA. Tu certè plus quàm
opus eſt, his frueris delitiis, ueſtibus, alióque lu-
xu, ſeruis quoque & brutis argentum diuidens:
ego autem nihil horum à te peto, ſed tantum ut
famem mitiges: age igitur, ut de micis quæ de
menſa cadunt, uentrem ſaturare queam.* aut *Chryſ. Gen. 4. homi. 20. col. 7. & 8.
ſaltem hos catulos paſce, ne famem mecum pa-
tientes, abſumpta ſanie carnes meas edant: en mo
rior, non eſt qui mihi aliquid det. AR. Quid tu
ô here in tremenda die iudicij reſpondere Chri-
ſto poteris, qui in paupere, micas à te nunc petit?
ô quàm uehementer te accuſabit, qui ita negli-
genter uitam tuam instituiſti? propterea ſi ſapis,
mihi obtempera, & cogita non Lazarum, ſed
Chriſtum

Chriſtum hunc eſſe: qui rectè tibi dicere poteſt:
tu hodie, ſuburbana, thermas, & porticus, im-
numeróſque paras thalamos: incaſſum ſplendi-
dè epularis: tu coruis, atque miluis, faſtigia exor-
nas: ego autem non habeo ubi caput declinem:
ſed peregrinus & nudus, & ſemimortuus ante
ianuam tuam ſto, nec exiguũ mihi communi-
cas tectum. * Audi me Domine, ac cogita quòd
hac de re alterum fore neceſſum eſt: uel quòd
bona in uita amittas, uel ſaltem in hora mortis
cum animæ interitu dimittas. * & cum adhuc
tempus habes, opes ſuperuacuas diſtribue, ut
prius illic tuam repoſitam habeas ſalutem. EP.
Auxilio potius hodie tuo, quàm conſilio egeo
adiuua ut à prandio, architectis, cæteríſque ope-
rariis, quod illorum eſt, ſoluamus. ARCHI.
Nónne operarius ille pauper eſt? EPV. Iacéntne
operarij? ARCHI. Operarius omnino, qui
propterea maximas anguſtias patitur, ut occa-
ſionem ſalutis tibi tribuat. Sic enim miſerator
Dominus propter noſtram ſalutem diſpenſat o-
mnia: relinquens pauperem inopia uexari, ut &
ipſe patientia multum mercedis acquirat, tu ue-
rò per eleemoſynam fiduciæ materiã illuc præ-
mittas: ne igitur abſque miſericordia tranſeas
domine, ſed eſto fidelis eorum quæ tibi à Deo
conceſſa ſunt diſpenſator, ut adiutus illius penu-
ria, tibi ſupernam concilies amicitiam. * EPV.
An mihi non licet amicos & parentes ad conui-

*Chryſoſt. in Matth. 27. ho. 89. in fi.

Auguſt. ho. 29.

Chryſo. Geneſ. 4. col. 7.

Oo

uium uocare? ARC. Rogandi ſunt parentes & uicini: ſed rarius quàm tu agis: neque tunc ſumptuoſa, ſed tam parca conuiuia eſſe debent, ut re maneat unde pauperes refici poſſint: noli igitur tam frequenter inuitare diuites, qui te iterum inuitent, & fiat tibi retributio: ſed uoca pauperes & claudos, aut ubi uenire ad te nequeat, tuis ferculis illos uiſita, & beatus eris: quia non habent unde retribuant tibi, retribuetur autem in retributione iuſtorum. EPV. Age igitur, ut cras ſit conuiuium pauperum. ARC. Audi uocem Domini dicentis: Stulte, anima tua auferetur à te hac nocte, quæ præparaſti cuius erunt? nónne fatuus habeberis, ut nocte moriturus fabricare diſponas? * quis ſcit quid craſtina allatura ſit dies? Sirach conſilio utere, cum ait, ne tardes conuerti ad Dominũ. * EPV. Cur adeò mihi moleſtus es? ſurgám ne ego, ut ſpectaculo huic mõſtruoſo ipſe manu mea eleemoſynam porrigã? ARC. Non quidem hoc à te nũc exigo, ut cum Paulo & Barnaba manu tua des, ſed ne manum repellas dare uolentis: Salomonis memor cum ait, ne impedias benefacere uolentem. * at hoc unum ſcito, quòd ſi non dederis: quotquot pauperes in loco in quo habitas, fame mortui fuerint, tot homicidiorum reus eris. * RV. Non tanto opus eſt ſtrepitu, ecce iam Lazarus mortuus eſt. ARC. Caue itaque tu domine, ne nunc dicat Deus, Teipſum ego feci: quod uiuis, meũ eſt:

*Lucæ 12.

*Eccl. 5.

*Prou. 3.

*Aug. de rectit. cath. conuerſationis.

est: quod habes, ego dedi, & ingratus es, aufero utrunque quod dedi.* *Aug. in loco citato.

CAPITIS QVINTI § PRIMVS.

Architriclinus rationes urgentes affert, per quas domesticorum animos post Epulonis ac Lazari mortem ad misericordiam impellere posit.

ARCHITRICLINVS. RVFINVS.

EPulonem, atque Lazarum eadē hora, diem obiisse uidistis, sed minimè mysterium hoc intellexistis. RV. Quid habes, quod de eorum morte proferre possis? ARCH. Mundi thesauri duo fratres sunt, unus qui reponitur malis, alter uerò qui bonis reconditur. *RV. Qui isti duo? ARCH. Thesaurus malorum, est inobedientia, animus intractabilis, iniquitas, de quo dicit Paulus, An ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit, sed iuxta duritiam tuam & cor tuum impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: Vbi belle uides, thesaurum peccatorum, reponi operantibus iniquitatem. * Thesaurum uerò bonorum, alibi Paulus ostendit, cum ait: Præcipe his qui diuites sunt in præsenti seculo, ne animis efferantur, neque spem ponant in incerto

*Chrys. in homi. sup. Psal. 115.

¶ Thesaurus malorū.

*Rom. 2.

¶ Thesaurus bonorū.

diuitiarum (minimè possessionem diuitiarum damnans, quæ occasio ad multa bona esse possunt, ita ut ex thesauro seculi, in thesaurum regni cœlorum conuertantur) sed benefaciant, diuites sint in operibus bonis, ut faciles sint ad impartiendum & communicandum, thesaurizantes sibi thesaurum in futurum, ut ueram apprehendant uitam.* RVF. Quis horum thesaurorum custos? ARCH. Deus qui alteros ulciscitur, alteris uerò rependit præmia. RVF. Quo authore loqueris? ARCH. Cum iræ thesauri scriptura meminisset, sic ait: De uinea Sodomorum uinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ, uua eorum uua fellis, & botrus eorum botrus amaritudinis: uenenum Draconum, uinum illorum, & uenenum Aspidis insanabile. Et post enarrata opera iniquitatis, euestigio adiunxit: nónne hæc omnia condita sunt apud me, & signata in thesauris meis, in die ultionis retribuā, in tempore cum lapsus fuerit pes eorum. De altero uerò iustitiæ thesauro Esaias loquitur, cum dixit: Venit sapientia, & sciētia, & pietas à Deo.* hic thesaurus iustitiæ est, cuius Iesus meminit, quādo dixit, Sequere me, & habebis thesaurū in cælo.* RVF. Quorsum tendis? ARC. Mane hoc, in Synagoga nostra Hierosolymitana, Iesum Nazarenum concionantem audiui, palàm testificantem, angelos Lazarum in sinu Abrahæ portasse, dominum autem nostrum sepultum in in-

*1. Tim. 6.
Esa. 33. Chrysost. Psal. 95.
*Matth. 19

Luc.16. in inferno esse. * Itaque thesauros quos thesaurizarunt, unicuique retributos esse, postquam è uita excesserunt. RVF. Tam cito? ARCH. Scriptum est enim, Semel statutum est mori, & post *Heb.9. hoc iudicium. * Poterat quidem dominus noster, Iesum audire: qui totiēs prædicauerat, amicos de mammona faciēdos esse, ut nos recipiant *Lucæ 16. in tabernacula æterna: * & minimè iræ thesaurum sibi tanta cum Dei inobedientia thesaurizare. exemplo isthæc uobis sint fratres charissimi, ut quando poteritis, animabus uestris thesauros in cœlo parare, non obliuiscamini. RVF. Doce nos rogo aliqua, per quæ ipsius eleemosynæ magnitudinem comprehendere queamus. ARCH. Deficeret certè tempus, si minutatim omnes eleemosynæ laudes aceruare uellem. RVF. Dic præcipuas notatu digniores. ARC. Tantā eleemosyna ipsa uim habet, ut pro eleemosynarum cultore hunc in modum Propheta obsecret: Salua eum, (in hoc seculo) & uiuifi- *Psal.4. ca eum (in alio) * quod & consummatum in Iob persona, Tobiæ, & multorum cernimus. Sic enim Paulus quoq; testatur, ut pietas ad omnia utilis sit, promissionem habens uitæ quæ nunc *1.Tim.4. est, & futuræ. * cui & illud Sirach consonat, Fœnerare proximo tuo, & omni tempore inuenies *Eccl.29. quod tibi necessarium est. * Honora Dominum de omni substantia tua, & de primitiis omnium frugum tuarum, da pauperibus, (alibi Sapiens

¶Eleemosynæ remuneratio.

inquit) & implebuntur horrea tua ſaturitate, & uino torcularia tua redundabunt.* iuſtitia eleemoſynæ igitur urget, qua prudenter elargita, adeò ſecurum hominem reddit, ut cum Dauide Propheta dicere poſſit: Iunior fui, etenim ſenui, non uidi iuſtum derelictũ, nec ſemen eius quærens panem.* RVF. Merito ergo Petro dicenti: Ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, Ieſus reſpondit: centuplum accipies in tempore hoc, & in ſeculo futuro uitam æternam.* ARCHI. Memor ſcripturæ illius es quæ dicit: Eleemoſyna liberat à morte?* RVF. Memini. ARC. At quid per mortem intelligat, haudquaquam te expendere puto: ſed audi quæſo myſterium hoc, & quantæ magnitudinis ipſa eleemoſyna habeatur. Cum enim Deus, hominem ſacramẽto fidei, id eſt baptiſmate, animam tam ab originali peccato, quàm à cæteris actualibus mundare elegiſſet: quoniã baptiſmus iterari haudquaquam poteſt, ne homo ad peccandum pronus à iuſtitia excidendo, abſque adiutorio poſt baptiſmum relinqueretur: eleemoſynam pro baptiſmate ſubrogauit. RVF. Baptiſmus ergo eleemoſyna eſt? ARCH. Baptiſmus. RVF. Placuit quibuſdam Ambroſium huius opinionis fuiſſe, quando uerba illa declarat, Pietas ad multa utilis eſt:* nempe peccata luxuriæ, eleemoſynis mundari. Thomas tamen aliter ſentit, quippe ut tanti eleemoſyna apud Deum ſit, ut pœnitentiam peccati,

*Prou. 3.
*Pſal. 36.
*Marc. 10.
*Tobiæ 4.
*1. Timo. 4.

¶ Quomodo eleemoſyna peccata mundet: nũ à ſeipſa?

22. q. 154. art. 2. ad 5. peccati, quæ Dei donum est, impetrare possit. * itaque sicut aqua ignem, eleemosyna extinguat peccatū: & hoc præstet eleemosyna, Baptismus secundus quod Baptisma primum præstat, à quo pœnitentia minimè abest. * Hæc Protestantes legant, ne deinceps modum hunc, quo à peccatis post Baptismum commissis, eleemosynis liberamur, ignorēt: ad hęc Anabaptistę quoque animaduertant, qui rebaptizationi intenti sunt, ut uerum baptismum peccatorū, quæ post baptisma admiserunt, intelligant: neque deinceps eleemosynas à suis domibus eliminēt, quæ in sinu pauperis absconditæ pro ipsa pœnitentia orant. RVF. Perge, obsecro, ut reliqua audiamus. ARCH. Vis penetrare cœlos? illā potentem esse Angelus testatur, quando dixit: Eleemosynæ & orationes tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. * Vis cœlo uim inferre? da Christo eleemosynam, per quem regnum cœlorum uim patitur. * & infimo aquæ frigidæ, poculo regnum cœlorum acquire. * Vis inimicos sagittis percutere, & carbones supra eorum caput imponere? iuxta illud, sicut sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis? * præbe inimicis tuis eleemosynas, & cum beneficia illis prębueris, malitiam eorum tua bonitate superabis, duritiámque mollies, iratúmque animum ad mollitiem flectes: quod est congregare carbones super caput eius. * Hæc enim audiendo,

*Hiero. Psal. 133. in uerbo benedicite. Chrys. in ca. Matth. 24. ho. 78. col. 7. & 8. Augu. homi 39.

¶ Lutheranorum errores.

*Acto. 10. d.

*Matth. 11.

*Marc. 9.

*Psal. 119.

*Rom. 12. & Hierony. ad Hebdibiā. q. 1. col. 2.

nemo adeò crudelis in animam ſuam erit, etſi Scythiæ frigora uigeant, aut alpinæ niues, qui duas tunicas habens, una pro ſe retenta, alteram nudo denegare audeat: partéque alimentorum neceſſaria in horreo cuſtodita, quæ pro uno die ſufficere poſſit, quod ſupereſt, eſurientibus non eroget. R V F. Quid per unicam tunicam, & neceſſaria alimenta diei unius intelligis? A R C. Quicquid corpori noſtro ſufficere poteſt, & humanæ ſuccurrere imbecillitati, quos nudos natura generauit: hoc, una appellanda eſt tunica, & quicquid præſentibus alimentis neceſſarium eſt, hoc, unius diei uictus appellatur. *Hinc ſanè præceptum eſt, ne cogitetis de craſtino, hoc eſt de futuro tempore. Siquidem habentes uictum & ueſtitum (Apoſtolus inquit) his contenti ſumus.* R V F. Ergo minimè puniendus eſt, qui aliquibus detentis, omnia ſua non dederit. A R. Minimè. R V F. Cur igitur Ananias & Sapphira morte puniti? A R C H I. Quoniam uolentes mundo ſe perfectos eſſe oſtẽdere, ſicut ſcriptum eſt: Si uis perfectus eſſe, uade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus: quaſi perfectè ſeculo renuntiaſſent, uanam gloriam ſectabantur.* R V. Condigna quidem factis paſſi ſunt, ut mundi gloriam, bona, & corpus ſimul perderent. ARC. Hos enim non poſſum niſi homini cuidã ſtulto comparare, qui rege properante ad ſpectandum uires eius, illum quidem relinquat ac negligat:

¶ *Vnica tunica uniuſq; diei cibus.*

* *Hier. in loco citato. col. 3.*

* *I. Timot. 6.*

¶ *Ananias & Sapphira.*

* *Hierony. ad Ebdibiam.*

gligat, ab egenis uero atque mendicis ſpectari uelit, atque ab eis potius quàm à rege laudes requirere quid enim homini prodeſt, ut à centum potius uideatur, quàm coram toto mundo eius gloriam Chriſti ore poſt exiguum tempus prædicādam expectare: nónne ſatius coram Deo ab Angelis commendari eſt, quàm hac inani gloria condemnari? * RVF. Progredere Architricline, ne hanc ſuauem orationem interrumpas. ARCH. Quid tale Deus homini præſtare potuiſſet, quale eleemoſynæ medio illi non condonauit? fecit ſanè ipſum de homine Deum: Siquidem Dei officium eſt, ut mundum paſcat, & cum potens eſſet, uno ictu oculi iſthuc conſummare, pauperes eſurientes à diuitibus Dei uice paſcendos reliquit, ut miniſtrando diues pauperi eſſet Deus. * contrà uerò, ut pauper egēdo, diuiti Deus ſit: quandoquidem eleemoſynæ iuſto in nomine iuſti datæ, uirtutem dedit: ut mercedem iuſti acciperet, * & peccata ſicut dictum eſt, mundaret: quod Dei ſolius officium eſt. * Hæc denique illa eſt, quæ non patitur erogantem ire in tenebras. * angelorúmque conſuetudinē etiā in uia hac peregrinationis nōſtræ habet. * Hanc igitur uiam ſalutis uobis prędico fratres, ut cum in domibus ditiſſimorum dominorum permanſeritis, hilari animo illas elargiamini: aut cum illas dare non poteſtis, uoluntatem ſaltem promptam habeatis, quam

*Chryſ. in c. 6. Matth. ho. 19. col. 3. 4.

¶Homo qui miſeretur, fit Deus.

*Aug. ho. 39. tom. 10.

¶Pauper diuiti Deus.

*Matt. 20.
*Mar. 2.

*Tobiæ 4.

*Tobiæ 9.

Deus pro pretio regni cœlorum ab inope suscipit. * hoc quidem maximè obseruandum est, nempe ut qui uacuus bonis erit, non uacuus, sed plenus uoluntate coram Domino comparare possit qui iubet, ut nemo uacuus corā eo intret.*

*Chrysost. in Matth. 27. homi. 89.

*Chrysost. in Matth. ca. 6. homi. 15.

CAPITIS QVINTI

§. SECVNDVS.

Epulonis in inferno manentis, cum Abrahamo in limbo degente, in cuius sinu Lazarus per angelos positus fuit, dialogus.

EPVLO. ABRAHAM. LAZARVS.

PAter Abraham, miserere mei: & mitte Lazarum ut intingēs extremum digiti sui in aquam, refrigeret linguam meā, quia crucior in hac flamma. LAZ. Epulonis uocem, summissiorem tamen quàm esse soleat, audire uideor. ABR. Ille est. LAZ. Nónne frustra in in inferno pœnitet, ubi non est pœnitentiæ locus, aut redēptio aliqua?* ABRA. Non quidem ob mala quæ fecit, culpam plangit: sed ratione pœnæ quam patitur, quasi pœnitens plorat. LAZ. Lumen damnati habent, ut me in sinu tuo sedere, intueri possint? ABR. Quæcunque uident ueluti per quandam caliginem, cum tristitia, ad augendum eorum desolationē,

*Eccl. 14.

Dei

Dei permiſſione uident. L A. Quid te uocat? tu ne illius miſereri potes? A B R A H. Nequaquam, ſiquidem creator creaturę miſeretur ſuæ. L A. Nunc clamat, ut eius lingua ſanetur? nónne & medicus ad eum uenit, qui morbum ſanare poterat linguæ ſuæ, Chriſtus nimirum, quem ubi mecum ante fores habitaret, micáque recreari ab eo totiens petiiſſet, quaſi tonitruis ab eius ore emiſſis, ſuperba lingua contumeliis eum excluſit? ô magnum miraculum? ut à me digiti extremum, quaſi minimum, in aqua intinctũ petat, ſpiritus ſancti adiutoria ſibi proficua eſſe nunc confitens, quæ etſi minima ſint, omnem tamen morbum ſanare poſſint: uiuus autem nil horum credebat, quin potius me iſta enarrantem, floccifaciebat. A B. Dei iudicium eſt, ut nunc propter maiorem eius afflictionem, id cognoſcat, quod ſua culpa obſtinatus amiſit: itaque is qui in uita miſereri noluit, in ſuo iam ſupplicio poſitus, patronũ quærat. L A. Magnas emittit uoces. A B. Tormenta illum cogunt, non mentis affectus. L A. Cur me uocat? A B. Quoniam erubeſcit, putãs te præteritorum meminiſſe. L A. Qui me uidere dedignabatur, nũc digitum deſiderat meum? A B R A H. Vide cõſcientiam peccatoris, non totum audet petere digitum. His certè docemur, quàm ſit utile diuitiis non confidere: ecce diues indiget paupere. L A. Quid enim aliud mundus iſte eſt, quàm

laruatorum multitudo magna : ſicut enim in theatris cum adueſperaſcit, & aſtantes recedunt, exeuntes, & amictum deponentes : qui reges, & prætores uiſi fuerant, omnibus ulceribus pleni uidentur, ut ſunt : ſic & adueniente morte, & dimiſſo ſpectaculo, uniuerſi laruis egeſtatis & diuitiarum depoſitis, ex ſolis operibus diiudicantur, qui nam uerè ſint diuites, qui pauperes, qui glorioſi, qui inglorij.* ABR. Viciſſitudinem *Chryſoſt.
pœnarum expendamus, ô Lazare? nempe Epulonem in medio ignis, ubi ſtridor dentium quoque adeſt, iacere : ibiq́ue guttam aquæ petere, nec exaudiri, qui tibi modo in medio ęſtus, modo frigoris ſub dio iacenti, micam panis de mēſa cadentem denegauit : ecce quomodo rerum uiciſſitudo hominis ſtatum mutat. Eius præterea linguam maximè infirmam eſſe, qua inebriantia guſtabat, parariq́ue illa præcipiebat, & quæ loquacitate (ſicut in conuiuiis fit) abundare ſolebat, adeóque procax in te, immo in Chriſtum fuit: in inferno clamitat, dolétque, neque ulla in re exauditur. LA. Deum patrem blaſphemās, te patrem propterea uocat : quia dum crudelitatis ipſe arguitur, quàm ſummus charitatis amator tu fueris, meminit: putans te miſericordia commotum eſſe : patrē præterea qui fuiſti, dum fide tanquam filius tuus iuſtificatus fuit, tametſi pater eius poſt mortem propterea eſſe deſiueris, quia primam fidem irritam fecit.* digna itaque *1.Timo.5.
facti

facti eidem responde si placet. ABRA. Fili qui fuisti, nullum adiutorium à me expectare potes, siquidem à fide quæ in filio esse debet, factis Christum negando discessisti. EPVL. Falsá ne scriptura illa est, quæ dicit, nec poculum aquæ frigidæ dari, quod remunerationem promptam non habeat. AB. Minimè. EPV. Vbi igitur eleemosynæ meæ, num quia uni non dedi, cæteræ infructuosæ erunt? AB. Propter illam quam de bonis Dei quorũ dispensator eras, non dedisti, cæteris posthabitis quæ fecisti, iustè condẽnatus es.*EPVL. Nunquam Lazarus peccauit, ut mereatur in sinu tuo nunc manere? AB. Peccauit certè, sed multa patiens, spiritualibus eleemosynis pœnitentiam egit. EPVL. Num me non pœnitet? ABR. Sera pœnitentia post mortem nihil ualet: poteras quidem propter culpam in uita dolere, sicut nunc propter durissimas pœnas angeris. LA. Nullam penitus cum Lazaro bonorum operum remunerationem nunc assequar? ABRA. Feruentius nisi illa fecisses, nũc animam flammæ exurerẽt tuam: recordare quia recepisti bona in uita tua: & hoc tibi pro remuneratione operum bonorum in peccatis factorum fuit: Lazarus similiter mala, quæ pro pœnitentia suorum peccatorum aduenerunt, nunc autem huic Deus solatium exhibet, tu uerò cruciaris. Sic enim scriptura inquit. Pauper & diues occurrerunt sibi: Deus fe-

*1. Pet. 4.

cit utrunque: Diuitem unde pauperem adiuuaret, pauperem unde diuitem probaret: uoce magna clamans, Beati qui lugent, quoniam ipſi cõſolabuntur. * miſerrimi ergo hi qui faciem ſuam auerterint ab egeno, quia ipſi inuocabunt Dominum, & non exaudiet eos. *L A. Audiant itaque diuites, qui boni diſpenſatores bonorum Dei in mundo ſunt, ſuperflua rectè diſpenſando, quot quantíſque beneficiis Dominus eos proſequatur: nempe ut in uita non modo neceſſaria habeant, uerumetiã (ſicuti iamdudũ dixi) ut in his quæ ſuperabundant, erga cæteros, pro Deo in mundo pauperes paſcendo habeantur. Audiant uiri diuitiarum, qui ſeculi fœlicitatem diligunt, ut in eis ſpem, quaſi in ultimo, non ponãt: uideántque ne eis in die iudicij dicatur, recepiſtis bona in uita ueſtra, ditati ſucceſſionibus, proſperíſque oblectati. Recepiſtis bona ueſtra, inquam, omne ueſtrum gaudium, hanc bonorum fluentem ac labentem falſam fœlicitatem ueram eſſe putantes: bona dico ueſtra, non Dei eſſe exiſtimantes, quæ fratribus communia eſſe debebant. Audiant & illi, quibus dici poterit, recepiſtis bona ueſtra, id eſt, inanem mundi gloriam, ô uos, qui iccirco pauperes ante portam ſtatuta hora diebus ſingulis conuenire iubetis, ut uiri Dei à mundo uideamini, intereadum uiri diuitiarum eſtis: Sic corde illis affecti, ut cũ ſomnum ueſtrum dormiueritis, nihil in manibus

*Matth. 6.
*Prou. 21.

bus uestris cum Epulone inueniatis. Audiant præterea hi qui propterea pauperibus dant, ut minime in cœlo thesaurum recondant, sed quo horrea eorum in mundo Deus ex hoc repleat: ne dicatur eis, recepistis bona uestra, hoc est mundi bona, quæ mundanis animabus uestris, pro illa remuneratione, quam in mundo appetebatis, sunt cōcessa. Audiant & pauperes, ut cũ mala esse putãt ea, quę diuersis modis cruciati in mundo patiũtur, bona Dei esse sciãt, quibus patientia nostra probatur. Audiant denique omnes simul, quid pater noster Abraham Epuloni respondens, euestigio subiungit. A B. [Et in his omnibus] quæ prædixi uobis, ut tam personæ quàm opera diuersas mansiones habeant [inter nos] qui bonorum Dei dispensatores prudentes fuimus, multáque mala pro Christo passi sumus [& uos] dispensatores pessimos [chaos magnum] ita ut, tametsi uobis datũ sit, ut pro maiori pœna gaudia nostra uideatis: nobis item ut mala uestra cernentes, gaudia nostra cumulẽtur: non tamen uia patet, ut uos à pœnis ad nos migrare ualeatis, uel nos erga uos in tormentis positos, uel minimam misericordiam exercere optemus, non quòd misericordia careamus, qua abundantius referti uiuimus, immo uero quia authori nostro iusto sic coniuncti sumus, illiúsque rectitudinem sic æmulamur, ut nullo erga uos animi affectu bono cō-

moueamur. EPVL. Nónne tempus adueniet quo ad uos uenire queamus, quando Dei miſericordia damnatos quoque ſaluabit? AB. [firmatum eſt] chaos: nulla diſpenſatione mouendum: Siquidem æternus ignis ueſter eſt, nullo unquam tempore finiendus, gaudium quoque noſtrum, in ſecula ſeculorum, ita ut hi qui uolunt hinc tranſire ad uos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare quando ſcriptum eſt, Opera illorum ſequuntur illos, ut unuſquiſque prout meruit, reportet.

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Illuſtriſſimæ Dianæ de Poitiers origo, nobilitas, uirtutes, & Architecturæ peritia hoc in loco narrantur.

CAMERARIVS. IO. BENEDICTI. PINARIVS.



N ſumma ſolicitudine eram, uehementérque angebar, quòd differri aduentum tuum uiderem, neque tamẽ quid ſibi hæc tua procraſtinatio uellet, ſatis intelligerem. BENED. Putáſne, Camerari, ipſis noſtris congreſſibus, conſuetudine uictus, ſermonibúſq; iucũdiſſimis quicquam mihi aut gratius, aut quod magis me delectet, accidere poſſe? Sanè non. Tarditatis autem meæ cauſa negocium fuit, quod mihi illuſtris Diana, Valentinorum Dux pro ornatu domus, quam conſtruxerat, demandauit: quo ſanè negocio ita per hoſce dies implicatus fui, ut diutius, quàm uellem, à uobis abfuerim. CAM. Etiam architectari didiciſti? BENED. Architecturę operam dare uirum religioſum haud decet, qui Deum, cœleſtiáque omni acie ingenij debet contemplari. Illud uero mirum mihi ui-

ſum eſt, Dianam, ut multis & præſtantiſſimis animi dotibus, ita huius etiam artis cognitione ornatiſſimam eſſe. Namque illa, præclaram ac plenam dignitatis domum, quam Anet uocant, exædificauit, quam non amicis ſolùm, uerum etiam inimicis apertiſſimam & perhoſpitalem uult eſſe, nullum crimen tanta animaduerſione dignum exiſtimans, quod hanc honeſtam uoluptatem, etiam inimico auferre debeat. CAM. Architecturæ etiam cognitione excellit Diana? BENED. Nouit illa Architecti propoſitum in tribus uerſari, pulchro nimirum, commodo & utili. Pulchrum uero quinque potiſſimum, quæ publica ſunt, cõplecti: faciem ſcilicet, porticum, aream, ſcalas, & aulam, quam uulgus ſalam uocat, eam ob cauſam publica appellata, quia unicuique tum lætitiæ, tum luctus tempore, ac reliquis anni diebus omnibus, qui aut illa ſpectare aut dominũ alloqui uolunt, ut pateant oportet. Commodum autem ſic pro ædificantis dignitate quærendum eſſe, ut nulla annua utilitas commodæ habitationi præferatur. CAM. Hæc certè totius artis eſt ſumma. Atqui ſcire optarem, num à Diana hic ædificandi modus ſit adhibitus. BENED. Vocetur magnus aliquis Architectus, uideat, exquirat, conſideret omnia, nihil tamẽ inueniet quod reprehẽdere poſſit. Accedat item aliquis, qui delectatione uiuendi ducatur, nullam profectò pulchriorem domũ ſe uidiſſe

palàm

palàm fatebitur. Quis eſt enim qui amnem, nemora, ipſumq́ue domus ambitum, pulchritudinem denique faciei, cui amœniſſimorum pratorum uiriditas ſeruit, antequã fores intret, non admiretur? Deinde uerò cùm porticum intrarit, alterum xyſtum à dextra, alterum à fronte inueniet. In ipſa autem porticu collocata uidebit ſigna quædam ænea, quæ Dianæ effigiem referunt, tum ſimulachra ſunt alia complura, fabularum etiam, mira pulchritudine, quæ magno artificio ficta ſunt atque formata: hæc ingredientium oculos ſic tenent, ut non facilè ab illis auelli poſſint. Quid autem uiuos, amœniſſimóſque fontes, argenteos latices inexplicabili quodam modo ſcaturientes, commemorem? Illud profectò tacere non poſſum, quod à fide dignis uiris accepi, quendam, qui ad regem magna de re per diſpoſitos equos uenerat, tantam ex his uoluptatem cepiſſe, ut & ſui oblitus, & ſuarum rerum immemor, non antè Regem conuenerit, quàm totus dies abierit. Scalas præterea ipſas ſi uideres, quàm commodæ ſint, quàm facilis aſcẽſus, non dubito, quin tu, qui podagræ doloribus cruciaris, illas maximis laudibus ad cœlũ efferres. Porrò tam triclinio, quàm cubiculis, neque Architecturæ ipſius menſurę, neq; diuerſi generis pretioſiſſima ornamenta tum æſtiua, tum hyemalia deſunt, quibus tum ipſa Regis maieſtas, atque Reginæ, tum principes omnes, qui aulam

comitari ſolent, magna cum pompa accipi poſſint. Feneſtrarũ admirandum opus, quis enarrabit? diuerſæ in illis hiſtoriæ adeò eleganter & ſcitè inſertæ ſunt, atque intextæ, ut ab ipſo Michaële Angelo Florẽtino, qui ueteribus hac fingendi laude non cedit, effictæ uideantur. Hortorum cultiſſimorum amœnitatem, arborúmque diuerſarum flores, quæ partim noſtro, partim altero ſeculo fructuoſæ erunt, & fructuum ſuauiſſimorum multitudinem, niſi uideas, credere uix poſſis. Addo his auicularum iucũdiſſimos cantus. CAM. Quid narras? quid Vitruuius fingere potuiſſet maius? BENED. Hoc uero, quod iam dicturus ſum, nónne admiratione ſimul & commendatione dignum erit? CAM. Quid hoc tandem eſt? BEN. In his deliciis & oblectamentis, ánne putas illam honeſtiſſimarum artium, & ueræ uoluptatis oblitam? immo nullius rei tam fuit memor, quàm Bibliothecæ, in qua libros optimos, & uetuſtiſſimos inuenias, atque eos, quorũ iam nomina obruebat, & prope inobſcurabat obliuio. Hic uidere licet etiam libros complures, quos illius nomini uiri doctiſſimi eximiis eius uirtutibus adducti, conſecrarunt. Fuit etiam illi curæ ſacrarium in eadem domo extruendi, illi ſimile, quod Romæ Dianæ dicatum fuit, quod & conſecrari uoluit, meáq; concione diuinis laudibus ornari, ut eſſet ubi ſacra & ceremoniæ ritè, more maiorum, & ſumma religione

religione confici poſſent. PIN. Ornanda potius erat dignitate domus, quàm ex domo dignitas tota quærẽda. BEN. Num obſcuro genere natam Dianam eſſe putas? PIN. Magni fieri nomen eius perſæpe audiui, progenies tamen quæ ſit, nondum audiui. BENED. Ex Caroli Magni ſtirpe Dianæ ortum, omnes hiſtoriæ, tam Latina quàm Gallica lingua conſcriptæ, perſpicuè teſtantur. PIN. Quo ſuccedẽdi ordine? BEN. Scio te non ignorare Carolo Magno Ludouicum filium ſucceſſiſſe, Ludouico autem Pipinum Ludouici filium Aquitaniæ Ducem, cuius filia cum marem non haberet, Gerardo Comiti Pictonum nupſit: quo factum eſt, ut domus, quam de Poitiers appellamus, Ducatus Aquitaniæ quoq; imperium obtineret, quem unà cum Pictonũ Comitatu ſumma cum pace lõgiſſimo tempore poſſedit: Gerardus nimirum, Ebles primus, Ebles ſecundus, Gulielmus primus, Gulielmus ſecundus, Guy, qui Gulielmum tertium ſuperſtitem reliquit, cui Diuus Gulielmus quartus poſtremò ſucceſſit. Deinde uerò cum Sanctus iſte uir filium eius unicum, cui nomen erat Emart, febre hectica laborare uideret, teſtamento conſtituit, ut Elionora eius filia primogenita Ludouico Regis Ludouici filio nuberet: qua re confecta Emart priſtinę ſanitati reſtitutus patris hæreditatem petit, quam illi aliis quibuſdam bonis non hæreditariis compenſant, hunc uerò ab

ipſa hæreditate excludunt. Deus tamen illi adfuit: quo factum eſt, ut non ita multò poſt, unicam filiam Valentinorum Comitis, uxorem duceret. Cui Emart primo, ſecundus eius filius ex Elionora ſucceſſit. Emart ſecũdo, Emart tertius, tertio Ludouicus, Ludouico Emart quartus, Emart Carolus eius frater, Carolo Ludouicus filius, qui Politianã Marchionis Crotoniatarum filiam uxorem habuit, Comitatúmque Valentinorũm quibuſdam bonis in compenſationem acceptis, Regiæ coronæ certas ob cauſas addixit. Iis deinde Carolus filius ſucceſſit, Carolo Ludouicus nepos, Ludouico Emart quintus, Emart Ioannes Pictauienſis, grauis armaturæ militum aulæ Regis Dux. qui unicum filium marem Gulielmum reliquit ſuperſtitem, cuius morte ad Dianam Ioannis filiam, Gulielmi ſororem, de qua ſermo eſt, paterna bona deuenerũt. Valentinorum uerò Comitatum Regis munificentia unà cum titulo Ducatus adepta eſt hæc eadem Diana. CAM. Magnam rem eſſe ex illuſtri familia ortum habere, nemo quidem negare poteſt: maiorem tamen eam puto, quando origini natalium præclara uiuentis facta illuſtria & glorioſa adduntur: tunc enim qui à parentibus illuſtratur, eos & ipſe colluſtrat. PIN. Regis ſanè fauor multum poteſt, cuius opera hæc effecta ſunt omnia. BEN. Quid ſi maximis difficultatibus oppreſſa hæc fecit, atque etiam his maiora,

nónne

nónne non modo gloriosiora eius facta esse, uerumetiam nihil illustrius ad eius laudem ipsa calamitate accedere potuisse fateberis? Vidua erat, omniq; fauore destituta, cùm ab inuidorũ coniuratione oblatam sibi crucem piè sustinendam suscepit: quo sanè tempore adeò prudentem se præbuit, ut admirãdam religionem suam atque unà fortitudinem hominibus ostenderit. Deinde uerò cum fortunæ rota conuerti cœpit, ipsi fortunæ obuiam procedere non pertimuit, & cum antea semper Regi summa cum dignitate obtemperasset, deinceps etiam magnis in rebus illi morem gerere non destitit. quæ causa fuit, ut ea gratia, quam prædicas, digna sit habita. CAM. Vides Pinari, quomodo robur, & murum, & arma sapienti prudentia suppeditat. PIN. Magnam esse fortunæ uim, tum in secundis, tum in aduersis rebus, nemo inficias ire potest. CAM. Fortuna aut casu multa fieri, in iis quæ fortuna uel casu contingere possunt, equidem negare nõ ausim, sed & illud affirmare non dubitarim, ob proprias etiam uirtutes multa bona homines nactos fuisse. PIN. Age mi pater Benedicti, ut aliqua ex parte illustria clarissimę huius fœminæ facta, quæ prædicas, tuo ex ore nunc audiamus. CAM. Ego primus eorũ quæ uidi, testimonium dabo. BEN. Perge. CAM. Quàm facilem, quàm benignam se præbeat omnibus, deinde uero, quàm se humaniter gerat,

difficile eſt oratione perſequi. hoc tamen dicam, mirari me ſatis non poſſe, qua humanitate, qua comitate omnes alloquatur, pauperes autem ſiqui fortè adſunt, qui eam alloqui ſubuereantur, illa ultro accerſit, eíſque apud Regem omnem operam ſuam benigniſſimè defert, quibus uerbis adducti illi, cauſam ſuam exponunt, illa uerò auditis omnibus confeſtim regiam Maieſtatem adit, negocium ei explicat: preces etiam ſi opus eſt, interponit: ac id quod regi placitum eſt, ſtatim opperientibus renunciat. num pro domeſticis duntaxat? immo & pro Gallis omnibus, Germanis item, cæteríſque nationibus aliunde aduenientibus, Italis præſertim noſtris, quos pro innata quadam pietate, ſic diligit, ut etiam annua ſtipendia alacri ac læto admodum animo multis procuret: non equidem ſolus loquor, teſtes habeo nobiles uiros permultos, qui in familiarem crebrámque conſuetudinem adducti, officia eius magnifica norunt. PIN. His auditis palinodiam canere cogor? CAM. Quam palinodiam? PIN. Illam ueram nobilitatem in primis eſſe dicam, quæ uinculo quodam ſe aſtringi ſentit, dum ſponte aut honeſta officia exercet, aut fugit inhoneſta. Et poſtea iure Dianam nobilem & magnificam, quæ magna facit, dici poſſe, quando in ea tum originis nobilitas, tum acquiſita, quam altam nominant, tum ingenita, cuius paulò antè memini, quaſi gemmæ auro

incluſæ

inclusæ relucent. BENED. Adeò ingenitam nobilitatē commendas, ut cæteras sanguinis, armorum, literarum, diuitiarúmq; nobilitates despicere uidearis. PIN. Signa potius illa sunt nobilitatis, quibus præsumimus, ut illustria proauorum facta imitari debeant illi, qui ex eorum sanguine procreantur. Hæc autem, quam ego magnifacio, nobilitas ingenita, ipsa uera nobilitas est, sine qua nemo, etsi reliquas omnes habeat, atque etiam robustissimus optiméq; à natura formatus fuerit, nobilis dici possit: Eam uerò qui habet, animo sit nobilis. Quid enim arma aut crudeli militi, aut tyranno ad nobilitatem proderunt? quid literarum nobilitas Iurisconsulto non integro, aut Philosopho, qui neq; Deum, ut decet, neque mūdum agnoscens, non modò fratres, sed neque seipsum honestis officiis prosequitur? quid antiquæ diuitiæ cum infamia acquisitæ? cùm experientia doceamur, neminem amplum fascem facere, nisi eum, qui omnes herbas demetit. Num in alios nobilitatem transferre & quasi transfundere possunt, quàm ipsi habent? quid denique antiqui sanguinis præsumptio, ubi uilis ille sit & abiectus, qui de antiqua nobilitate garriens, nemini honestis in rebus prodesse aut possit, aut uelit? BENED. Eum igitur, qui patre humili natus est modo hac nobilitate ingenita sit præditus, & alteram etiam uel literarum, uel armorū acquisierit illi,

qui ex antiquo ſanguine ortus eſt, nec aliud in ſe habet, præferendum eſſe contendis? PIN. Quid impedit, quin ingenitam hanc nobilitatem habens, uirtute ſe nobilem poſſit reddere? Nam quæ tandem eſt nobilitas, quæ quamuis antiqua ſit, principio caruit? Ille quidem nobilis dici non poteſt, cui illuſtria maiorum facta pro domeſtica turpitudine ſeruiunt. BEN. Cur igitur hi, qui uno ex quatuor modis, nobiles habentur, antiquas nobilitates commendant, hanc uerò recentem acquiſitam nobilitatẽ, eam item, quam tu ingenitam uocas, parui faciunt? PIN. Eam ſcilicet ob cauſam, quia multitudo magna deſidioſorum hominum, acquiſita ab eis ueſte caret, & cum alienam induere neceſſe ſit, ne propria ab eis exigatur, iudices in ſua cauſa ſe conſtituerunt, clamantes ſola antiquitate homines fieri nobiles. Prudentioribus tamen iudicibus, qui uanas populi uoces audire non conſueuerunt, perpetuo placuit, non ſolam excellentiam generis, ſed moribus uirtutibúſque, tam acquiſitis quàm ingenitis ſimul hominem nobilitari: ita tamen, ut nemo dici poſſit nobilis, niſi per ſe quoque uel multitudine rerum geſtarum ſplendeat, uel hanc ſaltem, quam propoſui, ingenitam nobilitatem habeat comitem. Hũc enim clarum uirum appellamus, qui per ſe uel alios nobilis factus honeſtis rebus fauere deuinctum perpetuò ſe agnoſcit, turpia uerò uitare, & utrũque

que præſtat. Cæteros uerò qui hac ingenita carent, & ſola parentum nobilitate ſe nobiles eſſe contendunt, depictos nobiles uocamus, atque praua quadam conſuetudine illuſtres uiros nominamus, qui nunquã ex ſe, ſed ex parentum lateribus ac lacertis nobilitati ſunt. CAM. Non quidem mentiar, ſi dixero, non minorem dignitatem progeniei ſuæ hãc Ducẽ addidiſſe, quàm naſcendo ipſa acceperit, ſiquidem, etſi mulier ſit, multis tamen uiris, qui uirtute præditi aut fuerunt, aut etiam ſunt, omnino anteferri debet. BENED. Quid uerbis moror? Dei opus expẽdite, qui cum hominem ex animo & corpore compoſuiſſet, non tam ad ornandam Dianæ animam intentus fuit, ut corporis ornamenta neglexerit. Sed quid præterea? cum eam deambulantem cerno, neſcio quid reuerendum, & admiratione dignum in ea conſpicio, ita quidem, ut nihil in ſtatura pulchra, aut facie decora, optare quis poſſit, quod ei datũ eſſe non inueniat. Nam quotiens ipſam intueor, honeſti faciem atque formam uidere uideor, faciem inquã grauem, atque iucundam. CAM. Illuſtris ergo familia, illuſtria facta eius, illuſtris locus, illuſtre domicilium, quod illuſtriſſima Diana omni uirtutũ genere ornatiſſima, habitare meretur.

CAPVT SECVNDVM.

Quæstio principio operis proposita hìc explicatur, an scilicet eleemosyna orationi, oratio uerò ieiunio præferri debeat.

CAMERARIVS. IO. BENEDICTI. PINARIVS. DIANA.

INtellexi Valētinorum Ducem rediisse: eamus si placet, ut ipsius manus officij causa deosculemur. BENED. Meum iter lubens conferam. PIN. Patiamini & me uobiscum ire. DIANA. Cur nō uenisti, Camerari, quemadmodum spoponderas, ut & domum meam, & me unà uiseres? CAM. Podagra impedimento mihi fuit, uenerandus tamen magister Benedicti, religionis uallis scholarium Abbas, sic omnia enarrauit, ut præsens adesse mihi uiderer. Intellexi uerò singulari artificio ædes illas ad architecturæ rationē exędificatas esse, quod cū hic nobis expli caret, Architectum etiam se esse ostendit. DIA. Equidem illum Theologorū hac ętate omnium doctissimum à summis Theologis haberi sciebam, sed hanc quoque scientiam illum callere planè nesciebam. CAM. Opportunè certè cum Pinario aduenit, ut quæstionem à te principio propositam, an scilicet eleemosyna oratione potior, atq; ieiunio sit nec ne, alternis sermonibus explicemus. DIA. Agite sanè, ego libenter audiam.

diam. quid enim agam potius? BEN. Orationem eleemosynæ præferendam esse assero. CA. Ego uerò charitatem. PIN. Mihi ieiuniũ relinquitur. BEN. Orãt certè Angeli in cœlo hominibus maiores, qui neq; eleemosynas elargiũtur neq; ieiunãt. oratio ergo potior. CAM. Maior in Christo, q̃ in Angelis charitas erat, qui ad dexterã patris sedet, tamẽ eleemosynas dum cum hominibus uersaretur, cęteris prębuit: hęc enim est disputatio nostra, quid in hac uita sit maius. PIN. Rectè nostis orationẽ sine ieiunio tenuẽ atq; infirmam esse, eam uerò fortẽ, quę fit in spiritu humili & contribulato, at spiritũ contribulatum is habet, qui ieiunat, * ergo ieiunium oratione præstantius. BENED. Spiritũ contribulatum Deum nõ despicere fateor, nec propterea tamen affirmo, non aliter orationem Deo offerri posse, nisi spiritum contribulatum habeamus, siquidem Maria, Sidrach, Misach, Abdenago, & alij multi coram Saule quoque saltantes, orarunt, Dominúmque laudarunt. PIN. Propterea hæc duo perpetuò coniunxit scriptura, quia ieiuniũ uirtus orationis est. BEN. Cur ordinem turbas, & non potius idcirco coniungi dicis, quia necesse est, ut ieiunium orationem sequatur? * CAM. Quo in angulo eleemosynam reliquistis? sine qua uacuus coram Domino ad orandum is, qui orat, intraret. * non quidem absque animæ præparatione orare debemus, quæ elee-

* Chrysost. in Matth. ca. 6. homi. 15.

* Chrys. Gen. homi. 30.

* Eccle. 15.

mosyna præparatur. ei igitur primum locum demus. PIN. Ieiunium mentem purgat, subleuat sensum, carnem spiritui subiicit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis uerum lumen accendit, uerbositatem nõ amat, superbiam spernit, humilitatem commendat. *Ieiunium hoc nobis præstat, ut facilè intelligere possimus, quàm infirmi, quàm imbecilli simus: quod cum percipimus, necessariò ad Dei opem cõfugimus, eúmque adiutorem quærere cogimur. BENED. Hos fructus ex ieiunio prouenire cõfirmo, modo præcedat oratio, quæ ieiuniorum refectio est, & gratiam Spiritus sancti aduocat, duritiem cordis mollit, austeritatem temperat, ipsúmque ieiunium dulce facit. De ieiunio quidem ieiunantis quęstio est, quod ubi oratione denudatum sit, plena refectio esse non potest. Hæc enim est illa, quæ à terrenis ad cœlestia ieiunantem erigit, supernáque inquirit, quæ dum inuisibilia desiderat, si perseueret, nos cum Deo coniungit. *CAM. Bonum est orare, bonum ieiunare, charitas tamen maior, per quam unus spiritus cum Deo sumus. Tria enim bona, eleemosyna, oratio, & ieiunium sunt. Atqui eleemosyna per se iustitię opus est, & sola illa elargienti prodest, ieiunium uerò absque oratione nihil: frustráque is orat, qui eleemosynam, cum potest ante orationem facere contemnit. PIN. Tot qualitates requiris, ut iam dicam, ei, qui ie-

iunare

*Augu. in ser. de tẽp. 230. 231. dominica 16. post Trini. serm. I.

*Aug. in loco citato.

iunare debet, & ieiunare contemnit, neque eleemoſynā, neque orationem prodeſſe. CAM. Incipit certè eleemoſyna in eo, qui eam facere duntaxat cogitat, ante orationem animam præparare, deinde autem ſimul acceptum Deo ieiunium faciunt. BENED. Quo authore loqueris? CAM. Iſaia, qui omnes Iſraëlitarum clamores, atque ieiunia in ſacco & cinere idcirco excluſit, quia miſericordiam comitem non habebant. *Iſa. 58. * Miſericordiæ uerò ſoli uim præparandi animam Ieſu Sirach tribuit, quinimmo peccata extinguere Chriſtus & omnes teſtantur. BEN. Noſti, Camerari, quam occaſionē homines improbi, ex Pauli epiſtolis arripuerint, qui eam ob cauſam perſæpe fidem extulit, quia auditores operibus, ut plurimum à cæteris Apoſtolis pręedicatis adhærentes, fidei memoriam habere deſierant. CAM. Memini. BENED. Noli ergo eleemoſynam adeò magni facere, ut ab oratione & ieiunio religioſorum animos abducas. me audi, ſi ſapis, & antequam huic noſtræ ratiocinationi finem imponamus, tu eleemoſynæ effectus, quotquot ab origine mundi ſcripturæ teſtantur, ego orationis, Pinarius ieiunij, pro ſe quiſque ſigillatim enarret. CAM. Longè ab eo quod propoſitum eſt, aberrat oratio iſta. num hiſtoriarum cathologū inquirimus, ut ex illis intelligamus, quæ commoda patribus attulerint ieiunia? Hieronymum, quantum ad ieiunia at-

tinet: quod uerò ad eleemosynas & orationes, Augustinum & Chrysostomū lege, qui quam ex iis utilitatem homines perceperint, memoriæ prodiderunt. PIN. Quæstio itaque hæc inexplicata manebit. CAM. Iesus eā determinauit, qui cum de eleemosyna, oratione, & ieiunio egisset, primum locum dedit eleemosynæ, secundum orationi, ieiunio tertium.* BEN. Liceat saltem nostrum unicuique, coram hac pręstantissima muliere, partem, quam quisque sustinuit, pręscripto à Iesu ordine commendare. CAM. Præclarè tu quidem. Incipiam igitur ego, qui eleemosynæ partes tueor: ea enim quæ supersunt, ueluti quadam epitome paucis enarrabo. *Matth. 6.*

CAPVT TERTIVM.

Eleemosyna orationi & ieiunio præponitur.

CAMERARIVS. DIANA.

CVm omne officium aut medium, aut perfectum esse constet: medium, ipsam mādatorum obseruationem Iesus uocauit, perfectum eleemosynæ elargitionem, cum dixit, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. & paulò pòst, Si uis perfectus esse, da omnia pauperibus, & sequere me. DIA. Rectè dicis. CAM. Hinc igitur charitatem ipsam, quæ perfectionis uinculum est, tāquam uerum diuitis officium appellari debere liquido constat, cum illud non ignores. Si nudum

dum uestias, te ipsum iustitia indues: Si uerò peregrinum in domum tuam induxeris, ipse tibi æterna tabernacula acquiret: non me, sed Paulum ipsum audi, cùm admonēs scripsit, ne in incerto diuitiarum sperent, sed potius facilè pauperibus dent, ut discant fundamentum bonum thesaurizare, apprehendentes uitam æternam. DIA. Mihí ne, quotidie eleemosynas elargienti, Paulus loquitur? CAM. Negligentibus, non tibi scribit: te uerò ne, Satana tentante, in ipsius eleemosynę elargitione superba atque arrogans, sed humilis ut sis, admonet. DIA. Quæ superbiæ species? CAM. Nescire diuitis & pauperis æqualem proportionem esse, talémq; propterea te ei exhibere debeas, qualē diuitem Deum sese tibi offerri optas. DIA. Ego pauperi æqualis? CA. Victū habētes & amictum, his ambo contenti debetis esse. DIA, Cibos esse, tā eos, quibus pauper, quàm quibus ego uescor, non nego, sed lōgè diuersos. CA. Saturari quærit pauper, itidē & diues, saturatur pauper uilibus, diues pretiosis cibis, quid tum postea? nónne uterque saturatus, uterq; quo optabat, peruenit? DIA. Pretiosa apparata iucūdissimè sapiunt, niger panis & caseus, saporis sunt ingrati, proindéq; diuiti haudquaquam amabiles. CA. Quid si in hęc uerba propterea prorumpas, quia diuites penitus ignorant quomodo sapidū sit, quicquid famem accendit, pauperes quidem initio & fine cœnæ æqualiter

cum ſapore edunt, diuites uerò faſtidioſi ob cõſuetudinẽ comedendi delicatos cibos, uix prandium au cœnam incipere poſſunt. Atqui demus cum impetu eos mãducare, quid iuuat delicatis cibis ultra modũ enutriri, ſi deinde corpora propter cibos morbis affligantur? ſeruetur ergo ordo, ne noceant. nónne ſatius eſt, id quod in corpus collatum, ſtatim effluxurum ſit contẽdas, id autẽ quod in anima ſeruatur præferas, & ſimul pauperi & diuiti ex æquo ſapiant cibi? Diuina quidem prouidentia errare nõ potuit, cum duo inter ſe contraria uoluit eſſe, diuitem nimirũ & pauperem, atque neceſſaria ambo, ut pauperis eſſet rogare, diuitis elargiri, Dei autem magna pro paruis compenſare. uia tamen cœli minimè homo diues, ſed pauper eſt, per quam uenitur ad patrem. DIA. Arrident certè omnia, ſed fateri non poſſum pauperem me eſſe, cum bonis abundare me, omnes intelligant. CAM. Veniat orationis hora, tũc uidebo num petas. DIA. Petam. CA. Quomodo igitur pauper non es, ſi petis? DIA. Salutem petam. CAM. Panem cum paupere petis, quando in oratione dominica panem quotidianũ petis. DIA. Sim in hoc pauper, ut humili cõfeſſione me omnia à Dei manu accipere cum Eccleſia confitear. CAM. Quid ſi in re maiori te omnino pauperi æqualem eſſe confiteri cogaris? nempe quia tu nihil attuliſti, nihil pauper, utriq; nudi ueniſtis, utriq; diſcedetis nudi. DIA. Hæ-

redes

redes ego habebo, qui & ſepulchro me tradent, & animæ meæ benefaciẽt poſt mortem. C A M. Quid ſi Dominus dicat, quid tanta hæredi ſeruas, quæ an auferam ignoras? nónne quotidie uidemus multos diuites, Dei uolũtate pauprimos diem obire? habeas tamen hæredes magnos, qui te ad ſepulturam magna cum pompa deducant, nónne Lazarus ab Angelis maiore cum honore abductus fuit, quàm diues ille, qui ſplendide uiuebat? Sed etſi te comitentur ad ſepulchrum, & tu in purgatorio manens illos benefactores habere poſſis, num propterea certa es, illos ingratos non fore? D I A. Hoccine beneuoli officium eſt? Horreſco miſera, & intrinſecus algorẽ magnũ ſentio dum iſtæc cõtracta fronte narras. C A M. Cũ pro ſalute corporis tui uitam exponere prõptiſſimus ſim, quid pro anima, quæ præſtantior eſt multò, prę̨ſtaturum me putas? nihil quidẽ habeo prę̨ter hos acutiſſimos clamores: qui ſi horridi, inſoliti, atque immodici prima frõte ſeſe tibi oſtendunt, non tamẽ mali ſunt, ſed ob eam cauſam emittuntur, ut uocibus meis in ſpem felicis ſucceſſus exciteris, dominúmq; audias dicẽtem, de meo quæro, da & reddo, habuiſti me largitorem, facio nunc me debitorem, ſi me audieris, faciam te fœneratricem: ſiquidem pauca tu mihi das, cæleſtia reſtituam. D I A. Poteras quidẽ initio eadem enarrãs paulò lenius loqui. C A. Summiſſa uoce nunc rogabo, num læta ſis, cum Regi

ac Reginæ cæteríſque principibus,qui in tuas æ-
des ueniunt,lautiſſima conuiuia paras?D I. Ma-
gnopere. C A. Nónne Rex Regũ Deus,Chriſtus
Deus,& pauper Chriſtus,quem in ſe repręſentat
ut Chriſto detur?quod pauperi datur. D I A. O-
mnino. C A M. Cur igitur regi terreno tanta ac
talia paras,Chriſto uerò Regi Regũ, micam pa-
nis non exhibes?quis ſcit an ille pauper qui petit,
iuſtus ſit, tu uerò non paſcendo ex iuſta iniuſta
fias? pauper pecunia,tu iuſtitia,mendicus tecto,
tu cœlo careas? D I.Atqui tu unus ignorare ui-
deris perpetuò me pauperes alere,nudos ueſtire,
ac cætera charitatis officia liberaliter præſtare?
CA.Nõ cõtradico,ſed quę mille dediſti,da duo,
ſi duo,da quatuor:arcãq; ſuperfluis ueſtimentis,
dignitati tuæ nõ admodũ neceſſariis uacuã faci-
to,quo illis altaria ornẽtur: minora item para,ut
ex pecunia illa,quã in arca ſeruas,plus ſolito pau
peres ueſtiantur,illud pro certo habẽs,ueſte ſplẽ-
dida ornatum,neq; beatum aliquẽ facere,neque
felicem. Siquidẽ felicitas in multitudine ueſti-
mentorum aut poſſeſſionũ nequaquam ſita eſt,
quin potius tãto maioribus poſſeſſorẽ ſuum dã-
nis afficiunt, quãto maius augumentũ accepe-
rint,ſi prudentia abſit. D I. Id fortaſſe à me hodie
tu exigis,quod Ieſus adoleſcenti conſuluit,ut ſe-
mel omnia pauperibus daret,& uitam contẽpla
tricem ingrederetur. C A. Perfectiorem uitã in-
quirẽti illum in modũ Ieſus locutus fuit:à te ue-
rò non

rò nõ adeò plenum ſacrificium expetit, neq; ego unicum, illúdq; tam magnũ offerri ſuadeo, ſed crebrum, quo ſimul debitum honorem Deo tribuens obedire diſcas, & minimè diuitiarum, ſed potius pietatis ſignum ſit. Quid multis? dies me deficiet, ſi quæ dici de eleemoſynæ laudibus poſſent, adferre coner: hæc memoria teneas rogo, in manu tua eſſe, ut non ſolum ex homine Deus in terra habearis, eo quòd ſicuti alio in loco dixi, dũ pauperi eleemoſynam das, pro Deo illi es, cuius propriũ eſt ut omnes paſcat, uerum etiã & Chriſto Deus ſis, quem dum pauperem alis, enutris, num mediocris hæc gratia fuit? Memorémq; inſuper fore te opto, ſi diuitiis augendis operã dare uolueris, hanc rem in te ſitam non eſſe, & plerũque nõ bonã intelligas. Si uerò beari, id & bonũ & penes te, cui Deus auxiliũ ferre promptus eſt. Difficilem rem me propoſuiſſe agnoſco, ut diues tẽperatus ſit, tãti tamẽ apud me & reliquos, qui te nouerũt haberis, ut id facile tibi eſſe cẽſeã, quod cęteris difficillimũ eſt. Vale mulierũ decus, eáq; benedictione te Pater, Filius & Spiritus ſanctus benedicat, qua Abrahã, Iacob, & Iſaac benedixit, oẽſq; petitiones tuas ſic ĩpleat, ut beatã uitã ĩ uia ducẽdo, æterna poſt mortẽ beatitudine fruaris.

CAPVT QVARTVM.

Orationi ſecundus locus attribuitur.

IO. BENEDICTI. DIANA.

ELeemoſynæ primum locũ concedo, orationem tamẽ illi adiungas uolo, ne cum animã

eleemoſyna ad orandũ præparaueris,cũ Deo loqui nolis.Sic enim cũ Patre &Filio eius IeſuChriſto ſocietatẽ habemus,ſimul & patri debitũ honorẽ præſtamus.DI.Nónne eleemoſyna pro me orat?B E N.Maximè.DI. Sufficit ergo eleemoſynam elargiri,ut dãdo utrunq; aſſequar.B E N.Sicut pręparaſſe ueſtimenta ad audiẽdum ſacrũ tibi parũ prodeſſet,ſi ſacrũ audire deinde contẽneres:itidẽ præparatio orationis , quæ per eleemoſynã fit,inutilis eſſet , ſi ſtatim orationẽ aſpernarere.nã quomodo iuſtus homo pro te orans impediri poteſt,ne propterea audiatur,quia tu non oras:quẽadmodum Samuel Saulis culpa nõ fuit auditus,eodẽ eleemoſynæ oratio,niſi tu quoque oraueris,te fruſtrabitur.D I.Quid oratione petã, ſi regnũ cœlorum infallibili æterna prædeſtinatione datũ eſt,tẽporalibus uerò abundo ? B E N. Dei bonitate principaliter , & tua præterea oratione quam pater præſciuerat prædeſtinata es,ſiquidẽ Deus ab æterno tãquam cauſam ſecundã ſibi ad prædeſtinandũ congruẽtẽ,ipſam orationẽ uidit:quod autẽ diues ſis,memento Salomonem diuitẽ,uictui ſuo neceſſaria petiiſſe. quãdo nil ipſe,nil tu quoq; haberes, niſi Deus tũ daret, tum etiã in bonorũ poſſeſſione conſeruaret. D I. Iubet Ieſus ſua noua lege,ne quid eorũ , quibus egemus,petamus,addens rationẽ , quòd ſcilicet Dominus noſtri curã habeat. B E N. Ne præpoſterè ante regnũ Dei tẽporalia petamus,Ieſus inhibuit

hibuit, qui nihil aliud in ore habebat, nisi petite, etiã panẽ quotidianũ. Hæc enim stabilis doctrina Augustini est, ut quæcunque appetere possumus, pro iisdẽ tum ut dentur, tũ ut conseruentur obsecrare possimus, modo regnũ Dei principale obiectũ nostrum sit. DI. Perge pater. BEN. Satis tibi esse debẽt, quæ fusissimè Camerarius tecum ratiocinatus est, cuius iudiciũ laudo, dũ posthabitis disputationibus, cæterísq; omissis aut inutilibus, aut apertissimis quæstionibus, ea duntaxat tradidit, quæ animã tuã ædificare possunt, ne fortè multitudine sciẽtiarũ obruta, aut fastidio tibi esse incipiant, aut omnia à memoria effluant. Vale Dux sancta, det tibi Deus de rore cœli & pinguedine terræ, & tibi inimici tui seruiant.

CAPVT QVINTVM.

In hoc capite eleemosyna, ieiunium, & oratio perpetuo nexu coniunguntur.

PINARIVS. DIANA.


SI eleemosyna præparatio orationis est, ieiuniũ uerò orationes adiuuat, & orationi ieiunium addendũ: orationẽ in medio horum collocare licebit, ut his duabus alis, hinc ad patrẽ hæc tria simul cõuolent. DI. Nulla ex his alia maior est? PIN. Nequaquã hoc dico, immo potius præscriptũ à Iesu ordinẽ in se habere assero, ut eleemosynæ primus locus detur, secundus orationi, tertius ieiunio. In te tamen ordo turbari poterit, ut plus ieiunãdo agas, q̃ eleemosynas elargiẽdo.


DIA. Quẽ in modum? PIN. Corpus planè pauperis paſcis, cum panẽ ei largiris, ieiunando autẽ multorũ principũ animas, qui uirtutẽ tuã imitabuntur, lucrifacere poteris, quod quidẽ officiũ tanto maius eleemoſyna erit, quanto animæ ſalus corporis incolumitate potior eſt. DI. Ieiunãt & ipſi. PIN. Rarius tamẽ q̃ par ſit. DIA. Idém ne cibus ruſtici & nobilis erit? PIN. Diuidebãt Apoſtoli ea, quæ habebãt ſingulis, ut cuiq; opus erat: ex quibus intelligimus, non poſſe omnibus eandẽ regulam præſcribi.* Atq; ita ieiunare debet princeps, ut nec ad dextrã magnæ inediæ, neque ad ſiniſtrã immodicæ curioſitatis inclinet: Paulum imitando, qui caſtigabat corpus ſuum, non autẽ feriebat, ne fortaſſis ob immoderatam inediã, neq; diuinis lectionibus operã dare, neq; mente in corpore ægroto, languẽte, orationi cõueniẽter inſiſtere, uel omnino quicquã eorum, quæ ad Chriſtianã Philoſophiã conferũt, in ſuã ſuorúmq; utilitatem poſſint operari.* Vale Dux præſtantiſſima, Deus benedicat tibi & nomen tuũ creſcere in filiis filiarũ tuarũ ſic donet, ut in multitudine prolis, bonorũ, pace, & proſperitate, ſuper terrã uiuant. DI. Maximas equidẽ gratias uobis, uiri optimi, & ago, & habeo, tãti certè eſt apud me officium hoc ueſtrum, ut me uobis plurimum debere intelligam.


*Act. 2. f.

* baſil. lib. de uera uir. co. 6

FINIS.






UB